B I B L I O T H E C A

SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM

T E V B N E R I A N A

HROTSVIT

OPERA OMNIA

EDIDIT

WALTER BERSCHIN



MONACHII ET LIPSIAE
IN AEDIBVS K. G. SAUR MMI

Gedruckt mit Unterstützung der Förderungs-
und Beihilfefonds Wissenschaft der VG WORT GmbH,
Goethestraße 49, 80336 München

Die Deutsche Bibliothek – CIP-Einheitsaufnahme

Hrotsvit ⟨Gandeshemensis⟩:
Opera omnia / Hrotsvit. Ed. Walter Berschin. –
Monachii ; Lipsiae : Saur, 2001
(Bibliotheca Teubneriana)
ISBN 3-598-71912-4

Satz: Satzpunkt Leipzig
Druck und Bindung: Druckhaus „Thomas Müntzer“ GmbH, Bad Langensalza

HOC VOLUMINE CONTINENTUR

EDITORIS PRAEFATIO

Auctricem huius libri ingenuo animo se professa est Hrotsvit[1], quae nomen suum Germanicum etiam Latine vertit iunctura biblica usa, cum se ipsam appellaret *Clamorem Validum Gandeshemensem*[2]. De eius vita pauca nobis comperta sunt, quae ipsa in operibus suis passim patefecit. Hrotsvithae labor atque industria in litteris conficiendis nobiliter augebatur a Gerberga (II., 949–1001)[3], septima abbatissa canonissarum coenobii Gandeshemensis, quae, filia Bavarorum ducis Henrici (948–955), familiae regali Saxonicae tunc temporis Imperium regenti arta necessitudine coniuncta erat. Quater nominatur Gerberga tamquam fautrix et mandatrix ab auctrice nostra. Cum Gerberga *aetate minor*[4] fuerit quam Hrotsvit, quae ipsa *longo tempore post*[5] mortem ducis Saxonum Ottonis († 912) nata est, nobis persuasum est poetriam anno plusve minusve 935 ortam esse. Quandam Rikkardim

1 *Hrotsvit* ab ea scribebatur casus nominativus, cf. lib. II, epist., 1, et lib. III, praef., 1. "Hrotsvit" iam appellabatur quinta abbatissa coenobii Gandeshemensis (923–933), cf. H. Goetting, *Germania Sacra* NF 7: Das reichsunmittelbare Kanonissenstift Gandersheim, Berlin/New York 1973, p. 292.

2 Lib. II, praef., 3; cf. Hbr 5, 7: *cum clamore valido et lacrimis offerens et exauditus pro sua reverentia.*

3 Tempora damus H. Goetting (vide n. 1), p. 293, secuti.

4 Lib. I, praef., 7.

5 Primordia v. 525.

magistram Hrotsvit – sine dubio feliciter – sortita est[6].

Liber primus operum, qui Legendarum dicitur, duobus temporibus conscriptus est, ut ex versibus ad Gerbergam abbatissam directis (ante *Mariam* et ante *Basilium* insertis) patet. Hunc librum non ante a. 962 ad finem perductum esse ex eo colligitur, quod Gerberga praefatione in Libro legendarum *neptis imperialis*[7] laudatur, id est neptis Ottonis I. (936–973), qui nomen imperatoris die 2. febr. 962 suscepit. Cum *duae* praefationes Librum secundum, qui est dramatum, adornent (Praefatio et Epistola), conici potest etiam hanc seriem operum duobus temporibus scriptam esse. Desunt indicia chronologica; at non solum consecutio praefationum, sed etiam ordo operum in codice principali Monacensi **M** servatus indicare videtur Librum dramatum sive comoediarum post

6 Lib. I, praef., 7. Quaerendum est, qui fuerint illi *magistri,* de quibus legitur lib. II, epist., 8 (infra, p. 135). Suntne curialitati tunc usitatae adscribenda ea, quae in prologo in parte prima Legendarum dicit Hrotsvit de *doctrina ... egregia* Gerbergae abbatissae, qua se *instructam* esse affirmat (infra, p. 3)? E praefatione libri I concluditur Hrotsvitham Gerberga administrante auctores novisse, *quos ipsa,* scil. Gerberga, *prior a sapientissimis didicit.* Hos sapientissimos in aula regum Ottonum quaerendos esse monstrant vestigia a C. Villa, *La "lectura Terentii",* t. 1, Patavii 1984, p. 99 sqq., reperta in codice Terentiano Oxoniensi, Bodl. Auct. F. 6.27, in cuius fol. 112^{v} legitur, manu saec. X ex.: *Adelheit · Hedwich · Matthilt · curiales adulescentulę unum par esse amicicię ·*

7 Cf. iuncturam *neptique nostrae imperiali* in charta Ottonis I. coenobio Gandeshemensi concessa die 7. oct. 972, *Monumenta Germaniae Historica* (MGH) Diplomata regum et imperatorum t. 1, Hannoverae 1879–1884, nr. 422, p. 576.

Librum legendarum et ante Librum carminum historicorum, id est ca. a. 965, perscriptum esse.

Liber tertius duo carmina historica sive epica comprehendit. Quorum carmen prius, *Gesta Ottonis* intitulandum, iam a. 965 manu versabatur Hrotsvithae, quia Bruno archiepiscopus Coloniensis, qui 11. oct. 965 defunctus est, v. 53 sqq. inter vivos laudari videtur. Versu 1498 (1504) Hrotsvit coronationem imperialem Ottonis II. commemorat, quae 25. dec. 967 acta est. Ultimis verbis praefationis in *Gestis Ottonis* Hrotsvit dicit inter se et Gerbergam abbatissam convenisse iudicium Wilhelmi archiepiscopi Moguntini de carmine explorandum esse. Cum is Wilhelmus 2. mart. 968 obierit[8], necesse est, ut Hrotsvit ante hunc diem *Gesta Ottonis* absolverit. Altera pars Carminum historicorum, *Primordia coenobii Gandeshemensis* dicta, certe post *Gesta* scripta (cum lectorem ad ea v. 81 sq. revocaret) bis Ottonem I. in medium ducit (v. 71 et 564); utrum Otto Imperator eo tempore, quo Hrotsvit haec scripsit, inter vivos, an iam inter mortuos fuerit (7. mai. 973), e poetriae verbis non patet.

Haec sunt argumenta, quae indicare videntur Hrotsvitham maximam partem operum suorum brevi spatio composuisse, id est inter mensem febr. 962 et mensem mart. 968; quibus sex annis Liber legendarum terminatus (a. 962 vel postea), Liber dramatum conscriptus (ca. 965) et prima pars Carminum historicorum (non post init. 968) ad calcem perducta est. Quot annis ante a. 962 Hrotsvithae Musa canere coeperit, quot annis post a. 968 ultima verba dederit, plane ignoratur. Paucis annis evolutis Hrotsvit ad instar cometae splendida enituit et Saeculum

8 Cf. R. Köpke/E. Dümmler, *Jahrbücher der Deutschen Geschichte.* Kaiser Otto der Große, Leipzig 1876, p. 438.

suum Obscurum, quod dicunt, miro modo clarificavit. Omnia sua opera tempore brevi, stricto, paucis intervallis interpositis quasi vehementi impetu profudisse videtur.

CODICES MANUSCRIPTI

M Operum Hrotsvithae codex plenissimus est latinus Monacensis, Bayerische Staatsbibliothek Clm 14485 (Cim. 339, olim St. Emmeram E CVIII)[9]. Monasterii S. Emmerami apud Ratisbonam siti usque ad dissolutionem coenobiorum Germanicorum erat, ubi ad tempus tamquam 'liber catenatus' custodiebatur, ut vestigia laminarum ferrearum integumenti aevi gothici exeuntis demonstrant. Hic codex membranaceus, qui cm 22,7 × 15,5 efficit, foliis 1^{v}–129^{v} et 130^{r}–150^{v} Hrotsvithae opera perhibet. Folium 1^{r} vacat, folio 129^{v} ultimi versus Carminis abecedarii Bedae Venerabilis De virginitate (inc. *Alma, deus, trinitas*) descripti sunt[10]. An tituli in libro Apocalypsis, qui fol. 130^{r} leguntur (inc. *Iohannes cęlum virgo vidit patefactum*) Hrotsvithae attribuendi an tamquam farcimina scri-

9 A. 1962 B. Bischoff editionem photographice depictam codicis praeparans, quam in serie Umbrae Codicum Occidentalium dicta in lucem dare voluit, nonnullis foliis manuscriptis praefationem scribere instituit. Quae paginae "Nachlaß Bischoff Ana 553" signatae in Bibliotheca R. P. Bavaricae Monachii servantur, ubi eas comitate praefecti codicum manuscriptorum obviante legere potui. Bischoff manus scribentium distinxit quinque; eius sententia scripserunt "(Gandersheimer) Nonnen, vielleicht noch zu Hrotsvits Lebzeiten".

10 ed. C. Plummer, *Venerabilis Baedae Historia ecclesiastica* t. 1, Oxonii 1896, p. 247 sq.; edd. B. Colgrave/R. A. B. Mynors, Oxonii 1969, p. 400. Vide infra, p. 268.

barum codicis consideranda sint, non liquet. Pars inferior folii 150^{v} post ultimum versum *Gestorum Ottonis* duobus alphabetis, Cyrillo et Glagolitico, repletum est. Ultimo folio codicis (151) leguntur particulae evangelii secundum Matthaeum (26, 40–47 et 26, 31–39) saec. XI^{2} minusculis carolinis ea forma, quae dicitur 'ovata proclinata' ('schrägovaler Stil'), scriptae, sed non completae, cum litterae rubrae desint.

Quaternionum series et scribarum consecutio ita caesuris distinguuntur, ut progressui operis Hrotsvithae concordare videantur. Agmen ducit bifolium Praefationem in lib. I et primum Carmen dedicatorium continens (fol. 1–2). In sequenti folio singulari titulus *Mariae* legitur (3^{r}), in tergo (3^{v}) eiusdem Legendae v. 13, qui est versus exornatissimus totius voluminis. Novem quaterniones sequuntur (fol. 4–75).

Transiens a Legendis ad Dramata scriptorium binione (fol. 76–79) usus est: Ultima Legendarum fol. 77^{v} terminatur in Epilogo, quo Hrotsvit rationem reddit de fontibus fabularum utriusque partis Libri legendarum. Reliqua pars folii vacat. Folia 78 et 79 exhibent textus duos deducentes ad Librum dramatum, scilicet Praefationem et Epistolam. Tres quaterniones (fol. 80–103) subsequuntur et ternio, cuius folium secundum avulsum est, antequam describeretur (fol. 104–108). His quattuor fasciculis quattuor dramata priora Hrotsvithae absolvuntur. Quarto dramate (*Abraham*) ad finem perducto spatium in calce folii 108^{v} relictum Argumento ad quintum drama (*Pafnutius*) replebatur. Quintum et sextum drama, Bedae Carmen, Tituli in Apocalypsi et Hrotsvithae Praefatio in *Gestis Ottonis* in duobus quaternionibus (fol. 109–124), folio singulari (125) et ternione (fol. 126–131) scribebantur.

Prologi metrici in *Gestis Ottonis* folio singulari 132 et prima pagina quaternionis sequentis (fol. 133–140) absolvebantur; alio quaternione (fol. 141–148) perscripto *Gesta* usque ad v. 752 producebantur. Sequentem quaternionem evulsum 384 versus comprehendisse reor, cum fere unaquaeque pagina codicis lineas 24 exhibeat. Folia 149 et 150 olim bifolium exterum quaternionis efficiebant, cuius folia interiora – pro dolor – perierunt. Ratione calculandi, quam dixi, adhibita, versus *Gestorum*, qui foliis 149 et 150 continentur 1137–1184 et 1473–1511 numerandi sunt.

Cum ratio libri totius esse videatur collectio particulatim disposita operum (quasi) omnium Hrotsvithae, facile conicitur eam collectionem etiam *Primordiis coenobii Gandeshemensis*, et iis in fine, instructam fuisse. Tamen codex, ut hodie conspicitur, indicia prae se fert nulla, quibus haec opinio probari possit. Codex **M** minusculis carolinis saeculi X nitide et diligenter, sed minime sine mendis, a quattuor aut quinque scribis exaratus paulo post variis modis correctus est. Quarum correctionum 'strata' haud facile discernuntur. Accentibus passim pronuntiatio, signis grammaticis[11] constructio verborum declarata est.

Examinanti, quomodo scribarum opus partitum sit, caesura una conspicua est. Priores enim scribae duo (duae?) folio 79 completo lectori valedicunt, id est ultimo folio eorum, quibus Liber legendarum et Liber dramatum separantur. Quae supererant operum Hrotsvithae, duo (duae?) sive tres scribae conficiebant, qui (quae?) in priorem partem voluminis descri-

11 e. g. *Maria* v. 54 (**M**, fol. 4ᵛ) *Hic in mandatis genitricis ab ubere legis*: Bis binis punctis indicatur genetivum *legis* ad *mandatis* referendum esse.

bendam iam vocati (-ae?) non erant. Cum neminem **M** diligenter intuentem lateat fieri non potuisse, quin codex procul ab origine et fonte operis poetriae exordium sumeret, probabilis opinio est – quamquam stricto sensu neque probata neque probanda – eum in ipso coenobio Gandeshemensi scriptum esse. Neque quaestio, utrum feminae an viri scripserint, usque adhuc decerni potuit, cum regulae iudicii huiusmodi minime inventae sint[12]. Ad ultimum observandum est folia 77ᵛ/78ʳ (finis Libri primi/initium secundi) et folia 131ᵛ/132ʳ (Praef. in Libro tertio/Prol. ad Ottonem I.) sordibus squalere, tamquam si codex iis duobus locis diu divisus iacuisset. Secundum B. Bischoff (cf. n. 9), qui inconsueta et apud S. Emmeramum incognita forma ligamenti codicis **M** ad hanc coniecturam adductus est, ille homo barbarus, qui codicem dissecavit et in tres partes divisum et dispersum per loca habuit, alius non erat quam Conradus Celtis, qui eum annis septem circumferebat, usque dum editione confecta eum noviter ligatum redderet.

Non multo postquam scriptus est, codex in parte meridiana Germaniae, et ea orientali, probabiliter apud S. Emmeramum Ratisbonensem conservabatur. Insinuant locum hunc apographa **k** et **m**, alphabeta Slava, folium additicium in fine codicis. Ramwoldus abbas S. Emmerami (975–1001) duos catalogos librorum conscribi iussit, in quorum priore, qui ab editori-

12 P. v. Winterfeld, *Hrotsvithae opera*, Berolini 1902, p. XI, n. 38, opinatus est se folio 43ʳ codicis **M** vestigium manus muliebris deprehendisse, cum dixerit *monialem librariam* p u d o r e p r a e p e d i t a m in versu 244 *Pelagii* (qui est *Sobria barbarico complexu subdere colla*) litteras *complexu s* praetermisisse et postea atramento rubro, id est minio, supplevisse.

bus inter primitias Ramwoldi numeratur[13], legitur titulus *Ars metrica de nativitate sanctę Marię.* Qui si ad codicem nostrum **M** referatur, ut fecerunt editores ante dicti catalogi, codicem nostrum **M** iam ante a. 985 Ratisbonae fuisse necesse est. Ideo **M** vix post a. 980 descriptum esse arbitror.

Conradus Celtis ca. a. 1493 codicem apud S. Emmeramum oculis percepit. Adiutus ab Erasmo Dawm, huius loci monacho conventuali, humaniorum, ut dicebantur, studiorum amico, Celtis effecit, ut sibi codex a. 1494 commodaretur[14]. Quem ipse statim Sixto Tuchero Anglopolitano[15] tradidit, postea Iohanni Trithemio Sponheimensi[16], qui codicis apographon per Theodericum Gresemundum iun. faciendum curavit (**p**). Denique Celtis textum codicis publici iuris fecit methodo horrenda, sed hominibus aevi humanistici non insueta: emendationes et coniecturas, quas necessarias esse existimavit, codici ipsi inscripsit et eum ita praeparatum typographis tradidit. Quo facilius in officina legerentur, libri interiora procaciter ex involucro traxit et in partes divisit. Cum imprimeretur editio, altero martyrio illustris codex noster **M** cruciabatur; ponebant enim typographi plagulas papyraceas humidas inter folia nonnulla codicis et

13 C. E. Ineichen-Eder, *Mittelalterliche Bibliothekskataloge Deutschlands und der Schweiz* t. 4/1, München 1977, p. 144 et 146, lin. 78. Etiam in Catalogo bibliothecae S. Emmerami a. 1347 conscripto citari videtur codex noster **M** titulo hoc: *liber de miraculis sancte Marie* (ib., p. 158, lin. 230).

14 Celtis *proprio chirographo . . . promisit postea, quam usus fuerit,* codicem se redditurum esse, cf. H. Rupprich, *Der Briefwechsel des Konrad Celtis,* München 1934, nr. 70, p. 119.

15 *Der Briefwechsel* (ut n. praeced.), nr. 71, p. 120.

16 *Der Briefwechsel* (ut supra n. 14), nr. 88, p. 145.

vitiaverunt ea atramento suo typographico. Prodiit tandem in lucem a. 1501 operum Hrotsvithae editio princeps exornata inter alia duabus imaginibus xylographicis, quas docta manus Alberti Dureri[17] inciderat. Postquam Celtis librum S. Emmeramo reddidit, Dionysius Menger, qui annis 1500–1501 novum catalogum bibliothecae monasterii congessit, eum prae oculis habuit et *passionale Rosvidis* intitulavit[18]. Inde ab a. 1811 codex inter cimelia Bibliothecae R. P. Bavaricae nominatur, qui inter codices medii aevi *uno* volumine Opera omnia cuiusvis auctoris illustris et coaevi complectentes iure vetustissimus laudandus est[19].

k Fragmenta Bibliothecae Universitatis (olim 'Studienbibliothek') Klagenfurtensis signata "Perg. Hs. 44", quae Hermannus Menhardt[20] a. 1925 in lucem edidit, quodammodo traditionem textus illustrant. In duobus


17 J. Meder, *Dürer-Katalog,* Wien 1932, p. 279 sq. K.-A. Knappe, *Dürer.* Das graphische Werk, Wien/München 1964, p. 208 sq.

18 *Mittelalterliche Bibliothekskataloge* t. 4/1 (ut n. 13), p. 249.

19 Paulo recentioris aetatis est "Froumundi codex" Clm 19412. Poemata tantum Ekkehardus IV. Sangallensis in "Librum benedictionum" (St. Gallen, Stiftsbibliothek 393) ca. a. 1050 recepit.

20 H. Menhardt, *Zeitschrift für deutsches Altertum* 62, 1925, p. 233–236. Tabulas phototypicas codicis publici iuris fecerunt M. Harrsen, "The Manuscripts", in *Hroswitha of Gandersheim,* ed. A. L. Haight, New York 1965, p. 42–53, et W. B., *Jahresbericht der Fritz Thyssen Stiftung* 1994/1995, p. 102. Liber chartaceus, in cuius tegumento fragmenta **k** inventa sunt, provenit e conventu Ordinis Praedicatorum Viennensi; postea erat coenobii S. Pauli ("im Lavanttal"); a. 1789 demum in Klagenfurtense repositorium translatus est. Asservatur nunc in Bibliotheca Universitatis Klagenfurtensis signatus 52 (olim 12).

bifoliis leguntur v. 84–275 legendae *Mariae*; insuper tribus schedulis olim ad opus ligatorium exsectis continentur minutissima fragmenta dramatis *Sapientiae* (III 16; IV 1; V 9, 14, 18, 22, 34; VI 2). Haec reliquiae sunt codicis discissi et dissoluti, qui secundo dimidio saec. XI scriptus codicem **M** quasi 'gemellus' sequebatur. Paulo minor (21 × 16 cm) effectus est **k**, totidem lineis (24) replebantur singulae paginae. Exemplar **k** Praefationem prosaicam in Librum primum praetermisisse videtur, quia Prologo ad Gerbergam (inc. *Salve regalis proles*) legendae *Mariae* praemisso quaternio primus iam replebatur, ut e distributione versuum in foliis conservatis coniicitur. Quae enim supersunt folia, olim interiora erant quaternionis primi:



⟨fol. 1^{r} *Maria* v. 1–12 [Prol. ad Gerbergam] + Titulus libri⟩
⟨fol. 1^{v} *Maria* v. 13–36⟩
⟨fol. 2^{r} *Maria* v. 37–59 [linea una vacante ut in **M**, fol. 4^{v}]⟩
⟨fol. 2^{v} *Maria* v. 60–83 ⟩
fol. 3^{r}–6^{v} *Maria* v. 84–275

Codicem **k** nullo alio codice mediante e **M** descriptum esse probatur eo, quod locos emendatos codicis **M** praebet emendatos etiam **k**. Codex Klagenfurtensis diligenter neque sine iudicio scriptus est. Interpunctio, quae in partibus poeticis codicis **M** persaepe desideratur, in **k** passim inseritur; menda codicis **M** interdum sanantur. *Maria* v. 173sq. ita legitur in **M** (fol. 7^r^):

At quem mansuetis caelestis nuncius orsis ·
Me fore caelestem dicebat credito uicem ·

k praebet eosdem versus ita (fol. 4^v^, iuxta quaternionis constitutionem, ut supra):

Ad qüem mansuetis cęlestis nuntius orsis ·
Me fore cęlestem dïcebat credito *ciuem* ·

Duobus locis **k** splendide emendabat. Insuper vocibus *quem* et *dicebat* duobus punctis superimpositis constructio sententiae perspicua facta est. Haec nobis indicio sunt codicem eodem modo ac **M** (cf. n. 11) in schola quadam[21] expositum esse.

p Codex **p** ca. a. 1494 litteris cursivis gothicis et humanisticis a Theoderico Gresemund iun. scriptus apographon est codicis **M**[22]. Haud invalidus, quia exemplatus, antequam Celtis codicem **M** ad prelum dandum tractaret.

m Etiam in parte descriptus est codex **M**: Post medium saec. XII in "Legendarium Alderbacensem" (Clm 2552)[23] drama *Gallicanus* (una cum Argumento) trans-

21 Eadem pagina ad v. 162 *Mariae* constructio nominis *ioachim* ita explicatur: *datiuus est.*

22 Vide tabulam apud M. Harrsen (ut supra n. 20). De Gresemundo H.-H. Fleischer, *Dietrich Gresemund der Jüngere,* Wiesbaden 1967.

23 Cf. D. Frioli, *Lo scriptorium e la biblioteca del monastero ci-*

scriptus est (fol. 1^{r}–5^{v}). Idem *Gallicanus* sub die 26 iunii, festo SS. Iohannis et Pauli, in "Magno Legendario Austriaco" legitur[24]:

h Heiligenkreuz, Stiftsbibliothek 12, ca. a. 1190, fol. 278ra–281ra,
Melk, Stiftsbibliothek 492 (675; M 5), saec. XV, fol. 234^{v}–239^{r},
Wien, Österr. Nationalbibliothek 336, saec. XIII, fol. 353va–357ra (olim 362^{v}–366^{r}),
Zwettl, Stiftsbibliothek 24, saec. XIII^{1}, fol. 273ra–277va.
Excerpta e *Gallicano* his in libris inveniuntur[25]:
Clm 2990, fol. 312^{r} (prov. ex Amberg), a. 1468 a Priore Liebhard monasterii Reichenbach in Palatinatu Superiore scriptus,
Clm 19608, fol. 211^{r}–215^{r} (prov. e Tegernsee), a. 1468 exaratus,
Clm 24510, fol. 102^{v}–105^{r}, saec. XV–XVI.

C Novum textum usque in illud tempus ignotum quattuor priorum Dramatum Hrotsvithae a. 1923 Goswin Frenken[26] divulgavit e codice Coloniensi, Historisches Archiv W*101, fol. 1^{r}–16^{v}. Libellus scolasticus gestabilis et formae oblongae (18,9 × 10 cm), saec. XII in Germania occidentali (an Colonia?) parvis et angustis litteris scriptus superiorem partem Drama-

sterciense di Aldersbach, Spoleto 1990, p. 58 sq. etc. Tabulam phototypicam apud M. Harrsen (ut supra n. 20) invenies.

24 G. Eis, *Die Quellen des Märterbuches,* Reichenberg i.[n] B.[ohemia] 1932, p. 110.

25 B. Bischoff, *Mittelalterliche Studien* t. 1, Stuttgart 1966, p. 64 una cum n. 2.

26 G. Frenken, "Eine neue Hrotsvithandschrift", *Neues Archiv* 44, 1923, p. 101–114.

tum praebet, omissis Praefatione, Epistola Argumentisque materiam uniuscuiusque dramatis exponentibus. Sed textus codicis **C** minimae fiduciae est, ut abbreviatus, complanatus, mendose descriptus[27], immo interdum sine intellectu depictus. Proprietates Hrotsvithani sermonis, ut sunt *-um ire* pro *-urum esse* (inf. fut.; cf. *Credo te hanc sententiam mutatum ire*, *Calimachus* III 4) scribae desidia depravavit et corrupit. Nihilominus textus **C**, quia *non* dependet e **M**, maximi est momenti.

H1 Alia via quam cetera Hrotsvithae opera *Primordia coenobii Gandeshemensis* ad nos devenerunt. A. 1966 in codice chartaceo Hildesheimensi, Dombibliothek 534, fol. 142ʳ–152ᵛ, *Primordia* Hrotsvithae iterum inventa sunt a Iohanne Goetting[28]. P. Henricus Türck S. J. (1607–1669) Patherbrunnensis eo tempore, ut videtur, quo officio Praefecti scholarum in collegio Societatis Jesu Hildesheimensi fungebatur (a. 1654–1659), *Primordia* litteris cursivis raptim, sed satis exacte descripsit.

H2 Etiam "Codex Hannoveranus" *Primordiorum* diu desideratus denuo repertus est. Gunther Scheel eum inter schedas Leibnitii (1646–1716) invenit: Hannover, Niedersächsische Landesbibliothek MS XXIII 167, zu II, 26, fol. 1ʳ–14ʳ. Qui codex ca. a. 1707 apud Gandersheim litteris cursivis barocae aetatis a quodam notario cancellario eleganter, sed minus competenter scrip-

27 Cf. H. Homeyer, *Hrotsvithae opera*, München/Paderborn 1970, p. 31.

28 H. Goetting, "Das Überlieferungsschicksal von Hrotsvits Primordia", in *Festschrift für Hermann Heimpel* t. 3, Göttingen 1972, p. 61–108.

tus et ab ipso Leibnitio eiusque coadiutore I. G. Eccardo (Eckhart) centum quinquaginta vel amplius locis correctus sive mutatus est[29].

Alium codicem, nunc deperditum
(cum alio opere quodam Hrotsvithae)

descripsit anno fere 1532 Henricus Angelonius (Bodo) monachus Clusensis (prope Gandersheim; † 1553 vel post)[30]. Praecedebant in illo codice Hrotsvithae carmen de *Primordiis* coenobii sui Vitae metricae paparum Anastasii et Innocentii, quorum reliquiae Gandeshemii colebantur. Haec sunt verba Angelonii (Bodonis) in *Syntagmate ecclesię Gandesiane* prolata[31]: *Verum de fundatione coenobii Gandesiani versu hexametro scriptum opus, cui etiam beatissimorum Pontificum Anastasii et Innocentii vitas eodem genere metrorum contextas praemisit, pulveribus longissimis temporibus abditum nostro aevo vix lucem vidit, aliquibus etiam foliis privatum. Taceo, quod et vetustate nonnullis in locis non litterae tantum, verum et totae sententiae absumtae sunt.* Ideo Angelonius has vitas Anastasii (I.) et Innocentii (I.) pontificum Hrotsvithae nostrae tribuit.

Collegii Gandeshemensis Senior Bartoldus Stein a. 1549 *Primordiorum* v. 574–577 in librum copialem

29 H. Goetting (cf. n. praeced.), p. 79. In apparatu editionis nostrae Leibnitii et Eccardi correctiones sive mutationes codicis **H2** ita notantur: *edd.*

30 De Bodone Clusensi H. Goetting, *Germania Sacra* NF 8: Die Benediktiner(innen)klöster Brunshausen, St. Marien vor Gandersheim, Clus ..., Berlin/New York 1974, p. 295 sq.

31 ed. G. W. Leibniz, *Scriptores rerum Brunsvicensium* t. 3, Hannoverae 1711, p. 712.

Gandeshemensem transcripsit[32]. Michael Rupius a. 1597 e codice quodam *Primordiorum* aliqua in Chronicam abbatissarum Gandeshemensium recepit[33]. Utrum haec sint vestigia plurium codicum *Primordiorum*, an semper ex uno eodemque exemplari excerpta sint, nobis in dubio relinquendum est.

Nil confert ad notitiam operum Hrotsvithae codex Berolinensis, Staatsbibliothek Preuß. Kulturbesitz theol. 2°265, minusculis gothicis apud S. Mariam ad Lacum ante medium saec. XVI exaratus; est enim apographon editionis principis anni 1501[34].

Codex operum Hrotsvithae, qui dicitur monasterii Saxonici Altzelle olim fuisse[35], quia in Catalogo librorum a. 1514 legitur liber signatus *O 3* et intitulatus *Opera Hrosvite illustris virginis monialis*, nil nisi liber typis impressus fuisse videtur. Inscriptio etenim libri Altzellensis fere ad litteram eadem est atque ea, qua Celtis editionem principem intitulavit[36].

32 Wolfenbüttel, Niedersächsisches Staatsarchiv VII B Hs. 2, vor Bl. 1. Tabulam phototypicam publici iuris fecit K. Kronenberg, *Roswitha von Gandersheim*, Bad Gandersheim 1962, p. 51.

33 H. Goetting (cf. n. 28), p. 66.

34 V. Rose, *Verzeichniss der lateinischen Handschriften der K. Bibliothek zu Berlin* II 3, Berlin 1905, nr. 997, p. 1283 sq. B. Nagel, *Hrotsvit von Gandersheim*, Stuttgart 1965, p. 33. Tabula phototypica apud M. Harrsen (ut supra n. 20).

35 Ita M. Manitius, *Geschichte der lateinischen Literatur des Mittelalters* t. 1, München 1911, p. 632.

36 Insuper in ea bibliotheca Hrotsvithae operibus adligatum erat Hrabani opus De laudibus sanctae crucis (ed. princeps Ioh. Reuchlin, 1503). Vix credi potest duo *manuscripta* huiusmodi in unum volumen compacta fuisse.

RECENSIO CODICUM

Proximus archetypo est codex **M** quantum ad dispositionem, scripturam, textum. Compositionem codicis **M** vigilanter consideranti vix dubium erit, quin iste non nisi a discipulis sive ab amicis Hrotsvithae componi potuerit, fortasse ea ipsa adiuvante[37]. Hrotsvithae opera in eo codice secundum tempora disposita sunt: Liber primus priora, secundus media, tertius posteriora complectitur opera. Iure codex **M** inde a Celte maximae auctoritatis habetur. Antequam **k** describeretur – id est ante medium saec. XI –, correctiones codicis **M** maximam partem iam erant inscriptae; ideo correctiones hae non negligendae esse videntur.

Textus **M** etiam post codicem **k** descriptum mutatus est, videsis Sap. 5,9. In codice **M** legitur *erumpit*, *e* in rasura; in codice **k** invenitur vox, quae, ut suspicari licet,

37 Licet dubitare (una cum M. Goullet, *Hrotsvita: Théâtre*, Paris 1999, p. XCVII sq.), an Hrotsvit ipsa argumenta (sive periochas) dramata praecedentia scripserit. Inveniuntur enim inter se repugnantia in argumentis et in dramatibus: 1) Gall. arg. (p. 136, lin. 11) *percussoris filius ... patris commissum et martirum confitendo meritum.* At in Gall. II 9,1 pater, non filius, delictum confitetur et martyres implorat. 2) Pafn. arg. (p. 218, lin. 4) *per quinquennium in angusta cellula conclusit.* Econtra Pafn. 9: *Ecce tres mansurni* (= anni) ... *transiere.* 3) Sap. arg. (p. 245, lin. 5) *Diocletianus imperator* loco *Adriani imperatoris*, ut in dramate ipso (passim). 4) Sap. arg. (p. 245, lin. 7) *quinto ab urbe Roma miliario* contra Sap. 8,2: *Tercio miliario.* 5) Insuper in arg. Abr. (p. 195, lin. 8) legitur Mariam *per vicenos annos* post reditum in cellulam lapsum deflevisse, de quo in dramate nil dictum. Ultimae tres voces huius argumenti in fol. 101ᵛ codicis **M** in margine deorsum scriptae sunt, tamquam si spatium ad argumentum describendum relictum non sufficeret auctori huius argumenti. Indicaturne hoc loco argumentum eo ipso tempore scriptum esse, quo **M** conficiebatur?

in **M** legebatur, antequam raderetur: *prorumpit.* Regula artis criticae strictissime adhibita codex **k** tamquam descriptus eliminandus est; tamen ad textum constituendum valet, quia eius adiutorio mutationes aliquot in codice **M** ponderandae sunt. Simili modo exemplar **p** eis in locis adhibendus est, ubi Celtis authenticam sententiam codicis **M** calamo et atramento illegibilem fecit.

Codex **C** inde ab a. 1923 notus propositionem quandam Pauli v. Winterfeld[38] quodammodo confirmavit, qui e *duabus* partibus illis introductoriis in Libro dramatum (scilicet Praefatione et Epistola), necnon et ex indole repetita dramatis quinti et sexti Hrotsvitham ita scribendo progressam esse autumavit: Primum eam quattuor dramata composuisse; deinde assensum sive laudem a *sapientibus fautoribus* (p. 134, lin. 2) nactam eam duo reliqua scripsisse. Eo modo Hrotsvithae opus dramaticum in eundem numerum evasisse ac Terentii – cuius lascivis *fingmentis* (lib. II, praef., 2) Amoris terrestris gloriosam veritatem Amoris caelestis non minus audacter quam confidenter opposuit nostra Sponsa Christi Saxonica. Codex Coloniensis quattuor priora tantum dramata continet et ita divisionem procreationis dramaticae Hrotsvithae in duas partes comprobare videtur. Maximi codicem **C** aestimabat Karolus Strecker dicens[39]: *hunc textum ex*

38 P. v. Winterfeld, *Deutsche Dichter des lateinischen Mittelalters,* München ²1917, p. 520–522.

39 K. Strecker, *Hrotsvithae opera,* Leipzig ²1930, p. IX. P. C. Jacobsen, in *Kaiserin Theophanu,* Köln 1991, t. 1, p. 175 sq., animadvertit ceteros textus codicis **C** excerptos et abbreviatos esse et ideo suspicatus est etiam partem codicis **C**, quae Hrotsvitham dat, abbreviationem sive excerptum quoddam esse. Neque ex eodem codice probari exemplar quattuor tantum dramata complectens a Hrotsvitha olim Coloniam missum.

exemplari quodam ad unum ex doctis illis viris transmisso originem traxisse coniciamus oportet. Atque ut coniecturae coniectura addatur, cum codex Coloniae, fortasse ad s. Pantaleonem, asservatus sit, illud exemplar ad Brunonem archiepiscopum aut certe ad unum ex familiaribus eius missum esse opinandum est. . . C textum priorem, M textum praebet retractatum. Hactenus Strecker. Si autem codex **C** *textum priorem* Hrotsvithae conservaverit, cur non eundem textum edidit? Talis quaestio minime gravabat editorem nostrum praecessorem affirmantem: *cum Hrotsvit textum retractatum M publici iuris fecerit, hic nostra editione repetendus est* – ac si non eodem iure dici posset Hrotsvitham *textum priorem* publici iuris fecisse. Ambo versiones, ambo codices (**C** et **M**) ad ipsam auctricem referendi sunt; ideo stirps, e qua codices **C** et **M** prodierunt, est investiganda, archetypus constituendus.

Codex **C** aliquibus locis, quibus **M** lacunam admisit, textum probabilem praebet (ut patet Abr. 4,2; p. 205, lin. 12–16). Econtra **C** tam lacunose et partim etiam mendose progreditur, ut eo solo superstite impossibile esset textum sanum et rationabilem constituere. Nonnullis locis **C** narrationem planiorem praebet:

	C	**M**
Gallicanus I 6	si forsitan	si forsan
Dulcitius 6,2	ue, quid accidit	ue, quid contingit

Si re vera esset **C** *textus prior* et **M** *textus retractatus*, vix intelligeretur, cur secundo nostro exemplo Hrotsvit vocem *accidit* (**C**) bene quadrantem retractaverit et eo loco scripserit *contingit* (**M**), vocem minus aptam[40]. Multo pro-

40 Cf. J. P. Krebs/J. H. Schmalz, *Antibarbarus der lateinischen Sprache*, Basel 1905, p. 66 et 355.

babilius videtur **M** hoc loco lectionem ingenuam conservasse, **C** mutavisse.

Locis sequentibus, ut credo, probatur codicem **C** arbitrarie ab intentione Hrotsvithae deviasse:

	C	**M**
Gallicanus II 1,2	Nisi quis renuntiauerit	Qui non renuntiauerit
Gallicanus II 2	immolare	sacrificare
Abraham 2,7	fenestras	fenestram

Primo loco fonte biblico (Lc 14, 33) comprobatur **M** recte scripsisse, **C** autem variasse. Secundo: *sacrificare* (**M**) vox usitata erat, cum christiani ad sacrificia pagana offerenda urgerentur[41]. Etiam tertio loco probatur lectio codicis **M**, quia cella reclusoria, ut Hrotsvit eam imaginabatur aut viderat, *una* tantum fenestra instructa erat[42].

Aliquibus locis vix decerni potest, utra lectio sit authentica:

	C	**M**
Gallicanus I 12,5	fugam capere	fugam captare
Dulcitius 12,3	Si sociaris adulterio meretricum	si socia eris meretricum
Calimachus 10,4	nemo morte priuaretur	nemo iuste liberaretur
Abraham 1,1	horas	laudes
Abraham 3,16	ad pristine quietis statum	ad pristinę quietis portum

41 Cf. W. B., *Biographie und Epochenstil im lateinischen Mittelalter* t. 1, Stuttgart 1986, p. 42; t. 2, 1988, p. 85.

42 Hrotsvit, Pafn. 7,6: *solummodo exigua fenestra;* cf. Vita Liutbirgae virginis c. 24, ed. O. Menzel, Leipzig 1937: *per parvam fenestellam, quae sola erat in pariete.*

Hae variae lectiones indicio esse possunt eis, qui Hrotsvitham dramata bis edidisse credunt, primum *sapientibus* examinanda, deinde Operibus omnibus inserenda. Sed argumentum difficile est probatu; permutationes suprascriptae etiam e methodo describendi parum fida scribae codicis **C** sive exempli, quo utebatur, explicari possunt.

Etiam si ponatur Librum dramatum (ut Librum legendarum et Librum carminum epicorum) duobus processibus exortum esse, e caesura inter quartum et quintum drama non necessarie concluditur Hrotsvitham dramata illa quattuor priora bis publici iuris fecisse. Non minus probabilis videtur reductio textus **C** et textus **M** ad unum et idem exemplum. Ideo archetypus postulandus est, qui in codice **M** quasi e vicinia, in codice **C** e longinquo conspicitur. Dubia fide codicis **C** considerata archetypus generaliter ope codicis **M** constituitur. Ad **C** recurrendum est, ubicumque lacuna relicta est in codice **M**. Deinde in codice **C** vestigia archetypi eis in locis deprehendere nobis videmur, ubi proprietates sermonis Hrotsvithae elucent, ut sunt genetivus pron. pers. pro pron. poss. declinato[43]. Ordo verborum tandem, quo **C** et **M** saepe inter se differunt, in archetypo is fuisse videtur, qui homoioteleuton ('Reim') producit, quia constat Hrotsvitham ornamentum hoc profuse applicasse.

"Legendarium Alderbacense" (**m**) et "Magnum Legendarium Austriacum" (cuius codicem vetustissimum Sancrucensem [**h**] contulimus) minus ad archetypum constituendum valent. Sub forma Passionis SS. Iohannis et Pauli his codicibus Hrotsvithae *Gallicanus* inseritur. Multis locis **m** et **h** inter se conveniunt. Sed minime alter ex

43 Cf. W. B., *Biographie und Epochenstil im lateinischen Mittelalter* t. 4/1, 1999, p. 69.

altero descriptus est, quia erroribus separativis in **m** et **h** inventis et filiatio **h** → **m** et filiatio **m** → **h** excluditur. Exemplar, quod **m** et **h** secuti sunt, eo difficilius definitur, quo librarii codicum **m** et **h** deviantia aliquot sibi licita esse crediderunt. Affirmavit v. Winterf. (ut supra n. 12, p. IV) **m** ex ipso **M**, tunc Ratisbonae conservato, exscriptum esse. Codicibus **M** ac **C** inter se differentibus reapse **m** et **h** saepissime sequuntur codicem **M**, immo varias lectiones codicis **M**, quas corrector posterior addiderat, repetunt. Sed his contraria inveniuntur:

	M	**C h m**
Gallicanus I 3,1	frangar	frangor
II 5,1	Mihin	Michi

Nisi casu evenisse credas, quod his in locis **h** et **m** codicem **C** secuti sunt, exemplar illud, ex quo **h** et **m** desumpti sunt, sui generis codicem (inter **M** et **C** collocandum) fuisse, ut existimes, necesse est.

Primordiorum Gandeshemensis coenobii recensio codicum seorsum est discutienda. Codices Hildesheimensis (**H1**) et Hannoveranus (**H2**) ex eodem exemplo descripti sunt, ut demonstrant nonnullae graphiae (v. 58 *Nunctio* **H1**, **H2**) et errores coniunctivi (v. 121 *pergebat* **H1**, **H2**, etc.). Opinatio probabilis est exemplum hoc deperditum minusculis gothicis exaratum fuisse (vide abbreviationes v. 129 *c̄aam̄* = *causam* **H1**; v. 276 *maã* = *materiam* **H1**, etc.). An idem fuerit ac liber ille, quem Henricus Angelonius (Bodo) saec. XVI vidit, nescimus. Codex **H2** pulchre, sed sine iudicio scriptus accuratissime correctus est, antequam eum Leibnitius prelo committeret. Correctores codicis **H2** persaepe variam lectionem **H1** suscipiunt, ita ut quaerendum sit, an ii codicem **H1** (aut apographon eius)

viderint (v. 108 *Cōi* = *Communi* **H1**; *Coram* corr. in *Communi* **H2**, etc.)?

Codex **H1** mediante alio codice apographo[44] editioni principi *Primordiorum*, quam I. G. Leuckfeld[45] curavit, textum praebuit; anno post editio Leibnitii codici **H2** innisa prodiit[46]. Stupendum est, in quam pravam et corruptam editionem Leuckfeld sanum et bonum codicem manuscriptum Türckii (**H1**) transformaverit, et e contrario, quam rationabilis editio a Leibnitio eiusque amanuensi e pessimo apographo **H2** effecta sit!

Cum constet non semel tantum codices Hrotsvithae alium ex alio exscriptos esse, quomodo ii codices inter se cohaereant, ad oculos demonstret, quod sequitur,


44 De hoc codice, nondum reperto, cuiusdam Dr. Conradi Bartholdi Behrens egit H. Goetting (cf. n. 28), p. 71, et p. 83, qui suspicatur exemplar idem esse atque id, quod G. Waitz a. 1843 Coburgii inspexit, et quod iam inde ab a. 1873 latet.

45 I. G. Leuckfeld, *Antiquitates Gandersheimenses,* Wolfenbüttel 1709, p. 410–426.

46 G. W. Leibniz, *Scriptores rerum Brunsvicensium* t. 2, Hannoverae 1710, p. 319–330.

STEMMA CODICVM

(sine codicibus *Gallicanum*[47] separatim tradentibus)



EDITIONES CRITICAE

operum omnium Hrotsvithae (in quibus ante a. 1858 editis *Primordia* desiderantur) publici iuris factae sunt hae:

47 Hanc traditionem textus stemmate delineato exponere conata est S. Jefferis, "Hrotsvit and the Magnum Legendarium Austriacum", in *Hrotsvit of Gandersheim – rara avis in Saxonia?*, ed. K. M. Wilson, Ann Arbor, Mich. 1987, p. 239–252.

1501	ed. C. Celtis, Norimbergae (Celt.)
1707 ([2]1717)	ed. H. L. Schurzfleisch, Wittenbergae (= Migne PL 137, col. 941–1130)
1858	ed. K. A. Barack, Norimbergae
1902	ed. P. v. Winterfeld, Berlin [repr. Berlin/ Zürich 1965] (v. Winterf.)
1906 ([2]1930)	ed. K. Strecker, Lipsiae (Str.)
1970	ed. H. Homeyer, München/Paderborn (textus v. Winterf. una cum commentario Homeyer).

EDITIO NOSTRA

vestigiis codicum instat, ut quam proxime ad auctricem lector accedat. Ideo in Legendis, Dramatibus et *Gestis Ottonis* edendis graphiam codicis **M** conservavimus. Ad consuetam normam rectitudinis redegimus separationem verborum, litteras maiusculas titulos librorum et nomina propria designantes, insuper etiam distinctionem u/v/w. Abbreviationes codicis **M**, nisi usus constans eiusdem codicis obstabat, ita solvimus, ut graphia regularis evaderet (ideo *Maria* v. 136 *p̄stares* = *praestares*, sed v. 151 *p̄cibus* = *precibus*). Simili modo contractio *sclm* etc. in partibus metricis, prout prosodia loci cuiusque postulabat, solvenda erat in *saeculum* aut *saeclum*. In scribendis numeris variationes codicis **M** minuimus; compendia (¯) desiderata sive superflua non notavimus. Rasuras et correctiones tantummodo locis ad criticam textus spectantibus descripsimus; accentus passim occurrentes neglegimus. Series verborum sequitur codicem **M**; iis in locis, ubi codicibus **M** et **C** inter se differentibus ordo verborum in codice **C** concinnitatem et homoeoteleuton ('Reimprosa') efficit, codicem **C** praetulimus.

In partibus prosaice scriptis signa distinctionis codicis **M** in textum editionis nostrae recepta sunt. Quorum vim ac potestatem primus intellexit Iosephus Bendixen[48]: *Nam cum codex ille, ut plurimi saeculi X^mi^ et XI^mi^ libri scripti, in adhibendis distinctionum signis sit admodum parcus, neque ulla facile in ceteris eius carminibus inveniantur, nisi quae significandis versuum terminationibus et caesuris simul inserviant; tam crebro in comoediis earumque praefatione atque epistola iis praemissa haec signa interposita sunt, ut tanta diversarum eiusdem libri partium hac in re discrepantia. . . summam faciat admirationem.* Bendixen observat *eos saepissime locos his signis distingui, qui homoeoteleutorum quadam concinnitate sese excipiant. Accedit quod, cum in ipsis comoediis signa illa aliis locis tam profuse repetantur, ut singulae prope voces iis separentur, aliis locis satis cumulatae enuntiationum complexiones iis paene careant, huic diversitati ita respondere solet diversus ipsorum s e r m o n u m c o l o r, ut quo sint magis animi affectionibus commoti eo plura, quo sint sedatiores et tranquilliores eo pauciora inveniantur.* Postquam Polheim, ut edantur haec signa distinctionis[49], postulavit, Strecker ea in secundam suam editionem operum Hrotsvithae recepit. Octo signis diacriticis edebantur distinctiones rhetoricae *prosaicarum partium* operum Hrotsvithae. Cum etiam homoeoteleuta notarentur et insuper distinctiones nostrae syntacticae interpunctionis adderentur, tanta congeries signorum coacervata est, quantam sine tabula explanatoria lector nullus perspicere valeret.

Ne perdamus codicum proximitatem, cui Strecker editionem operum Hrotsvithae iam devinxerat, textum simplicibus signis distinximus et iis tantum, quae prosae

48 J. Bendixen (ed.), *Hrotsvithae Gandeshemensis ... comoediae sex,* Lubecae 1857/1862, p. XI et XII sq.

49 K. Polheim, *Die lateinische Reimprosa,* Berlin 1925, p. 2.

orationi in codice **M** apposita sunt. Puncto codicis **M**, quacumque altitudine positus est, respondet punctus intermedius (·) editionis nostrae. Interrogationis signum recipitur. More distinguendi saeculis IX–XII usitatissimo scriptores breve vel longum intervallum ita adnotabant, ut alterum puncto (sive signo interrogationis) littera *minuscula* sequente, alterum puncto (sive signo interrogationis) littera *maiuscula* sequente denuntiarent. Ubicumque ab interpunctione codicis **M** digrediendum erat, apparatus criticus rationem reddit, si iis distinctionibus non receptis in editionem nostram vis aliqua syntactica sive rhetorica inesse possit. Levissima, ut sunt puncta erasa, additicia etc., neglеximus. Puncta desiderata sive redundantia in nominibus, siglis personarum et numeris tacite ad normam correximus.

Opera *poetica* e contrario signis consuetis more grammatico distincta sunt. Modus bipartitus distinguendi non multum distat a praxi codicis **M**, cum puncta in versibus eiusdem codicis vix alia quam caesuram et finem versus notent, longe aliter autem in prosaica oratione appareant, cuius sermo non raro crebris intervallis distinguitur.

Varia lectio codicis **k** notatur eisdem minutiis ac in **M** neglectis. Supprimuntur etiam variationes æ-ę-e, d-t et m-n. Apographon **p** raro adhibitum est, iis locis scilicet, ubi investiganda erat ea lectio codicis **M**, quae videbatur, antequam Celtis corrigeret, mutaret, tolleret.

Suppressis eisdem levissimis ac in **M** et **k** varias lectiones codicis **C** recepimus. Sed, ne inutilia librum gravarent, etiam graphias b-p-pt, c-ch-h-i-y, ci-ti, e-oe, g-gn, h, m-mp-n, ss-sch-sc-c-ch, x-xs codicis **C** praetermisimus. Nec assimilationem (dissimilationem) nec dittographiam nec litteras initiales deficientes nec compendia desiderata mentione digna duximus paucis exceptis. Ubicumque **C** aliter ac **M** distinxit, res examinanda erat; raro autem di-

stinctio **C** notanda erat. Apparatui critico *Gallicani* varias lectiones aliquot ex codicibus **m** et **h** inseruimus, quia eisdem codicibus traditio textus saeculi XII illustratur. In edendis *Primordiis* codicibus **H1** et **H2** utendum fuit. Non moliti sumus traducere graphiam codicum barocorum in usum saeculi X. Varia lectio secundum id, quod de codicibus **C**, **k** et **M** diximus, delecta est.

Contulimus codices **C**, **H1**, **H2**, **h**, **k**, **M**, **m** imaginibus phototypicis usi; varia lectio codicis **p** ex editione v. Winterf. desumpta est. Iam opus non erat divinare textum codicis **H2** ex libris impressis parvae fiduciae, cum ipse codex feliciter repertus lectionem praeberet. Codices **H1**, **h** et **k** nunc primum in edendis operibus Hrotsvithae adhibiti sunt.

Ultimo loco asterisci (*) in margine *Gallicani* considerentur. Haec signa geometrico more depicta codicem **M** fere semper iis locis ornant, ubi dramatis personae noviter prodeunt in scenam. Demonstrantne asterisci hi *Gallicanum* paratum esse, ut a variis personis recitaretur[50]? Undecim sunt ista signa in codice **M**, quorum novem codex **m** litteris initialibus sive maioribus imitatur.

Beneficia, quae opus Fritz Thyssen Stiftung contulit, effecerunt, ut A. Häse, M.A. eam diligentiam, qua pollet, etiam huic libro conferre potuerit.

Heidelbergae, anno bis millesimo W. B.

50 Altera indicia theatralis aptationis *Gallicani* codex **M** ostendere videtur, cum foliis 80^{v} et 81^{r} scriptura minuscula carolina supra lineam dialogus ita declaratus sit: G⟨allicanus⟩$^{resp⟨ondit⟩}$ Tuis ... C⟨onstantinus⟩$^{d⟨icit⟩}$ Si opus ... G⟨allicanus⟩$^{d⟨icit⟩}$ Id ipsum ... etc.

CONSPECTUS CODICUM ET SIGLORUM

C Köln, Historisches Archiv der Stadt W*101; fol. 1^r–16^v, e Germania occidentali, saec. XII.

H1 Hildesheim, Dombibliothek 534, fol. 142^r–152^v; manu Patris Henrici Türck S. J. ca. a. 1654–1659 scriptus.

H2 Hannover, Niedersächsische Landesbibliothek MS XXIII 167, zu II, 26, fol. 1^r–14^r; Gandeshemii ca. a. 1707 scriptus.

h Heiligenkreuz, Stiftsbibliothek 12, fol. 278ra–281ra; ca. a. 1190 scriptus.

k Klagenfurt, Universitätsbibliothek Perg. Hs. 44; Germaniae meridionalis parte ad orientem vergente saec. XI^2 scriptus.

M München, Bayerische Staatsbibliothek Clm 14485 (Cim. 339, olim St. Emmeram E CVIII), Germaniae parte media (an Gandeshemii?) ca. a. 980 scriptus.

m –, – Clm 2552, fol. 1^r–5^v; Alderspachii saec. XII^2 scriptus.

p Pommersfelden, Graf v. Schönborn Schloßbibliothek Schloß Weißenstein Hs. 308 (olim 2883); manu Theoderici Gresemund iun. ca. a. 1494 scriptus.

⟨LIBER PRIMUS⟩

⟨PRAEFATIO⟩

Clm 14485, fol. 1v

HUNC LIBELLUM PARVO ULLIUS DECORIS CULTU ornatum 1
sed non parva diligentia inlaboratum omnium sapientium benignitati offero expurgandum eorum dumtaxat qui erranti non delectantur derogare sed magis errata cor-
5 rigere · Fateor namque me haut mediocriter errasse non 2 solum in dinoscendis syllabarum naturis verum etiam in dictionibus componendis · pluraque sub hac serie reprehensione digna latitare · sed errores fatenti facilis venia · viciisque debetur pia correctio ·
10 Si autem obicitur quod quedam huius operis · iuxta quo- 3 rundam estimationem sumpta sint ex apocrifis · non est crimen presumptionis inique sed error ignorantię quia quando huius stamen seriei · ceperam ordiri · ignoravi dubia esse in quibus disposui laborare · At ubi recognovi 4
15 pessumdare detrectavi · quia quod videtur falsitas · forsan probabitur esse veritas · Cum res sese ita habeant · tanto 5 ad perfecti defensionem opusculi permultorum iuvamine egeo · quanto in ipsa inceptione minus ulla proprii vigoris fulciebar sufficientia · quia nec matura adhuc aetate
20 vigens · nec scientia fui proficiens · sed nec alicui sapien-
fol. 2r tium · affectum meę intentionis consulendo | presumsi enucleare ne prohiberer pro rusticitate ·

8 latitare *sine interp. sequ. M.* **12** p̄resumptionis *M.* **13** ordiri *sine interp. sequ. M.* **17** opusculi · *interp. M.* **18** inceptione · minus *interp. M.*

Unde clam cunctis et quasi furtim · nunc in componen- 6
dis sola desudando nunc male composita destruendo sat-
agebam · iuxta meum posse licet minime necessarium
aliquem tamen conficere textum ex sentenciis scriptu-
5 rarum · quas intra aream nostri Gandeshemensis col-
legeram cęnobii · Primo sapientissime atque benignis- 7
sime Rikkardis magistrę aliarumque suae vicis instruente
magisterio · deinde prona favente clementia · regię indo-
lis Gerberge cuius nunc subdor dominio abbatisse · quę
10 aetate minor · sed ut imperialem decebat neptem · scien-
tia provectior aliquot auctores quos ipsa prior a sapientis-
simis didicit me admodum pie erudivit ·
Quamvis etiam metrica modulatio femineę fragilitati dif- 8
ficilis videatur et ardua · solo tamen semper miserentis
15 supernę gratię auxilio non propriis viribus confisa · huius
carmina opusculi dactilicis modulis succinere apposui ·
ne crediti talentum ingenioli sub obscuro torpens pecto-
ris ⟨antro⟩ rubigine neglegentię exterminaretur · sed se-
dule malleo devotionis percussum aliquantulum divine
20 laudationis referret tinnitum · quo si occasio non daretur
negociando aliud lucrari · ipsum tamen in aliquod saltim
extreme utilitatis transformaretur instrumentum ·
Unde quicumque lector si recte et secundum deum sa- 9
fol. 2v pias · egenti paginę · que nullius praeceptoris | munitur
25 auctoritate opem tue rectitudinis ne pigriteris adhibere
deo videlicet si quid forte probetur recte compositum ·
meęque neglegentię designando universale vitiorum nec
tamen vituperando · sed indulgendo quia vis frangitur
obiurgationis ubi intervenit humilitas confessionis ·

14 uideatur · et ardua *interp. M.* sola *M, sine interp. praevia.*
15 Huius *M.*

⟨PARS PRIOR⟩

⟨PROLOGUS [I]
AD GERBERGAM ABBATISSAM⟩

Salve, regalis proles clarissima stirpis,
   Gerbirg, illustris moribus et studiis.
Accipe fronticula, dominatrix alma, serena,
   Que tibi purganda offero carminula,
5 Eius et incultos dignanter dirige stichos,
   Quam doctrina tua instruit egregia,
Et, cum sis certe vario lassata labore,
   Ludens dignare hos modulos legere,
Hanc quoque sordidolam tempta purgare camenam
10 Ac fulcire tui flore magisterii,
Quo laudem domine studium supportet alumnę
   Doctricique pię carmina discipulę.

---

4 purganda] hic *suppl. Celt. in M ob tollendum hiatum.* **6** instruit] construit *mut. Celt. in M (ut supra).*

fol. 3r

HISTORIA NATIVITATIS LAUDABILISQUE CONVERSATIONIS INTACTAE DEI GENITRICIS, QUAM SCRIPTAM REPPERI SUB NOMINE SANCTI IACOBI FRATRIS DOMINI

fol. 3v UNICA SPES MUNDI, DOMINATRIX INCLITA CELI,
fol. 4r Sancta parens regis, lucida stella maris,
15 Quę parens mundo restaurasti, pia virgo,
Vitam, quam virgo perdiderat vetula.
Tu dignare tuę famule clementer adesse
Hrotsvithę votis carminulisque novis,
Quę tibi femineę studio famulante camene
20 Iam supplex modulis succino dactilicis
Exoptans vel summatim attingere saltim
Laudis particulam, virgo, tue minimam
Ortus atque tui primordia clara beati
Necnon regalem pangere progeniem.
25 Hoc tamen agnosco fragiles excedere vires,
Ut temptem laude te merita canere,
Digne pro meritis quam totus non canit orbis
Quęque super laudes angelicas renites,
Hunc quia virgineo portasti ventre puella
30 Inclusum, cuncta qui regit imperio.
Olim sed stultum fari qui iussit asellum
In laudem sancti nominis ille sui
Teque per angelicum fecit, virguncula, verbum
De sancto digne flamine concipere
35 Atque suę prolis matrem sine sorde pudoris
Effecit cunctis dissimilem meritis:

32 //ille *M.* 33 uerbis *M.*

fol. 4v Si placet, ipse meam potis est dissolvere linguam
Et cor rore suę tangere gratiolę,
Quo prestante suę mitis dono pietatis
40 Grata sibi pangam, te quoque, virgo, canam,
Ne comes ingratis condampner iure pigellis,
Quos piget altithrono psallere pro modulo,
Sed mage purpureum laudare perenniter agnum
Promerear turmis addita virgineis.

---

45 **M**undi labentis lustris nam mille peractis
Incepit quando felix ętatula sexta,
Qua deus impleri iussit pietate fideli,
Quicquid veraces iam precinuere prophetę,
Qui mundo Iesum mox predixere futurum,
50 Germine de Iuda quidam surrexerat ergo
Israhel in terra senior sub lege vetusta
Ortus regali David de germine magni,
Quem tradunt etenim nomen tenuisse Ioachim.
Hic in mandatis genitricis ab ubere legis
55 Extiterat iustus necnon digne studiosus,
Hoc quoque continuo fuerat sua maxima cura,
Ut gregis ipse sui bene pasceret agmina magni
Designans veri sese pastoris haberi
Dignum quandoquidem terrestri carne parentem,
fol. 5r 60 Qui portare suos humeris non distulit agnos
In propriis vitę ducens ad gaudia laetae

53 ioachim *in ras. M.* 55 Extiterat *mut. in* Exstiterat *man. post. M.* studiosus] studios *in ras. M.* 57 ipse sui *corr. ex* sue ipse *M.* 59 quandoquidem *mut. in* quandoq; *man. post. M.* **60** suos *mut. in* suis *man. post. M.*

Passurus mortem magnum nostri per amorem
Empturusque reos anime precio sibi care.

Hic heros etenim, de quo narrabo, Ioachim,
65 Tali percerte felix patriarcha nepote,
Toto se placidis ornans conamine factis
Quicquid possedit, per tres partes resecavit
Partem dans viduis, peregrinis atque pupillis,
Saepius in templo partem famulantibus ergo
70 Particulamque suę domui servaverat omni.
Hoc quoque non raro faciens pietate benigna
Digne mercedem suscepit denique talem,
Ut propria substantiola bene multiplicata
Ipsius gentis proceres precelleret omnes,
75 Nec sibi consimilem portaret terra potentem,
Quem sic cunctarum fulciret copia rerum.

Quattuor hic certe cum iam feliciter ipse
Volveret in summa fortuna lustra rotata,
Vultu praepulchram sibi desponsavit amicam
80 Necnon praenitidam laudandis moribus Annam,
Acharis natam, David de stirpe creatam,
Foedere legali proprio quam iunxit amori.
Hanc autem memorant sterilem non tempore parvo
fol. 5v Spem partus homini nullam conferre fideli.
85 Tandem digestis bis denis scilicet annis
Contigit in templo Ioachim sub tempore festo

63 sibi] *ita M,* pie *coni. Str.* **67** ptres patres *corr. in* ptres partes *man. post. M; an legendum* partes per tres? **68** pupillis] puellis *M.* **73** propria *corr. ex* proprie *M.* substantiola *corr. ex* substantiala *M.* **78** Volveret] vel uiueret *scr. supr. lin. man. post. M.* lustra *corr. ex* lustrata *M.* **82** iunxit *corr. ex* iuncxit *M.* **83** /// sterilem *M.*

Inter sacratos altaris stare ministros,
Incensum digni fuerant qui ponere visi.
Quem Ruben templi dum vidit scriba sacrati
90 Exosus factum dictis affatur amaris:
'Non licet incensum', dixit, 'te tangere sanctum,
Munera nec domino prestat dare sacrificando,
Te quia despexit, subolis cum dona negavit.'

Non dedit econtra verbum vir nobilis ullum,
95 Sed maerens abiit silvas tristisque petivit,
In quis sepe gregem consuevit pascere pridem
Ac in longinquam pergens per devia terram
Ipsum cum propriis secum ducendo magistris
Hic in secretis latitat pascendo latebris.
100 Nec post ad patriam placuit remeare relictam
Passus namque gravem secreta mente pudorem
Ex Ruben verbis, qui se causatur, amaris.

Cuius percerte post menses inclita quinque
Coniux desperans illum iam vivere salvum
105 In soles flevit nec solamen sibi scivit
Hasque preces domino profudit triste dolendo:
'Israhelis rector solus quoque gentis amator,
fol. 6ʳ Qui semper refoves miti pietate dolentes,
Cur mihimet socium voluisti tollere carum
110 Addens merorem tristi semperque dolenti,
Que semper sterilis mansi sine germine ventris?
Sed nunc maioris vulnus suspiro doloris,
Hoc quia nec penitus, quid conferret, scio, casus
Legali domino, devoto legis amico.

93 subolis] *ita k*, sŏbolis *M.* **95** merens *M.* **103** procerto *k.* **109** karvm *k.* **111** Que] vel quod *scr. supr. lin. man. post. M*, Quod *k.* **113** conferret] contuleri[t] *partim in ras. k.*

115 O me felicem, si saltem noscere possem,
Utrum mors illum subito sorberet amara,
An frueretur adhuc calida vitaliter aura.
Certe si scirem, non ius meroris haberem
Tantum; cum tenebris loeti subcumberet atris,
120 Funus sed summa colerem praenobile pompa
Inclita condigno committens membra sepulchro.

His ita finitis sublatis cernit ocellis
In ramis lauri resonantes murmure dulci
Pullos plumigeris volucres circumdare pennis.
125 Hoc ubi cernebat, subtristi voce canebat:
'Rex celi fortis, cui subiacet astriger axis,
Omnia qui certe potis es disponere recte,
Semper cunctarum tibi laus extet pietatum,
Quod clemens cunctos pietatis munere vivos,
130 Pisciculos, pecudes, serpentes atque volucres
Congaudere suis donasti sedulo pullis:
fol. 6v Sed meme solam sterilem remanere misellam
Causa iudicii iussisti denique recti.
Te tamen omnipatrem constanti pectore testem
135 Invoco, coniugii primo quod tempore vovi,
Si ventris fructum mihi praestares pius ullum,
Hunc mox in templo sisti tibi rite sacrato
Obsequioque tui legali more sacrari.'

Talia dum mundis formaret verbula labris,
140 Angelus astrigero subito descendit ab alto
Maxima tristicię portans solamina tantę

115 saltim *k.* **119** l&ti *k.* succumberet *k.* **120** colerem] *ita k,* colere *M.* **126** cęli *k.* **128** extet *mut. in* exstet *man. post. M.* **132** meme] me me[t] *M,* memet *k.* **135** quod primo *k.* **138** Obsequioque *corr. ex* Obsequoque *man. post. M.* **141** Maxima] *ita k, corr. ex* Maxime *M.*

Et stans sub facie dictis hęc fatur amicis:
'Exue merorem, cordis depone dolorem,
Consilioque dei germen tibi credito summi,
145 Hoc, quod ventre tuo procedet tempore certo,
Vere fiet idem populis mirabile cunctis.'
Dixit et aurivagis revolans secat aethera pennis.
Anna sed angelicis nimium perterrita verbis
Mesta domum petiit sese lectoque locavit
150 Et tremefacta diem psalmorum lege perorat
Effusis noctem precibus ducendo sequentem.
Post hęc ergo suam precepit adesse puellam
Astantem rogitans propriis illam sub ocellis,
Cur se despiceret vel cur tam sero veniret,
155 Cum sibi sentiret fieri quid forte stupendi.

fol. 7r Reddidit econtra domine lasciva famella
Obprobriis iactum servili murmure verbum:
'Si te despexit sterilem faciens deus', inquit,
'Dic, rogo, divine cause quid pertinet ad me?'
160 Anna sed obprobrium patienter pertulit istud
Effundens tantum lacrimas subtristis amaras.

Scilicet hac ipsa Ioachim praedictus in hora
Angelus apparens inter montana refulgens,
In quis tunc pascendo gregem latitaverat autem,
165 Iusserat ad sociam cicius remeare relictam.
Qui dixit monitis animo permotus ab illis:

146 mirabile] uenerabile *k.* **147** aethera] *corr. ex* aethra *M,* &hera *k.* **149** Gesta *k.* **150** perorat] *ita k,* at *in ras. M. Cum desit homoioteleuton inter caesuram et finem versus, locum corruptum esse aestimaverunt editores nonnulli. At inveniuntur interdum versus sine homoeoteleuto in operibus poeticis Hrotsvithae, cf. R. Leotta, in Filologia mediolatina 2, 1995, p. 203.* **157** Obpropriis *k.* iactum] tactum *M, k.* **162** *Sine init. litt. M, k.* Ioachim] datiuus est *supr. lin. k.* **164** autem] ille, *in ras. teste Menhardt k.*

'Haec iam bis denis mecum permanserat annis,
Ex illa dominus subolem mihi nec dedit ullam.
Insuper obprobriis discessi plenus amaris
170 Nuper de templo causa confusus ab ipsa:
Et me despectum tantisque malis saturatum
Hortaris regredi subdi primoque pudori?'
Ad quem mansuetis caelestis nuntius orsis
'Me fore caelestem', dicebat, 'credito civem
175 Custodemque tui factum pietate superni
Regis, qui iustam consolari dedit Annam
Per me, dum preculas flendo profunderet almas.
At nunc ergo tui causa de cardine celi
Aequa ferens veni permagni gaudia doni
fol. 7ᵛ 180 Hocque tibi dico, quod mox praenobilis Anna
Concipiet natam cunctis sęclis venerandam.
Haec inter natas hominum fiet sacra cunctas,
Spiritus et merito sanctus requiescet in illa;
Ac per quam veniet mundo benedictio summa,
185 Nec primam similem nec fertur habere sequentem.
At nunc ad sociam tempta remeare beatam,
Quę gaudens omni tantum pariet decus orbi;
Et semper grates factori reddite dulces,
Cui placuit stirpem vobis concedere talem,
190 Qualem percerte nunquam tenuere prophetę,
Omnes electi post hęc non sunt habituri.'

Ad quem promissis Ioachim letatus in illis:
'Si mihi certa tuo maneat tua gratia servo,

168 sŏbolem *M,* sobolem *k.* **173** Ad] *ita k,* At *M.* nuntius] *ita k,* nuncius *M.* **174** civem] *ita k* (ciu *in ras.),* uicem *M!* **179** Equa *M, k* (E *in ras. teste Menhardt).* permagni] *ita k, corr. ex* permagna *M.* **183** requiescet *corr. ex* requiescit *k.* **191** post – sunt] non sunt post hęc *k.* non] *ita M, k;* nec *coni. v. Winterf. (add.), Str.* **193** mihi – tua] *ita k,* tua certa tuo maneat mihi (tua *et* mihi *inter se signis permut.) M.*

Ad tempus dignare meo requiescere tecto
195 Et gustare cibum non dedignere paratum.'

Angelus econtra dicebat voce decora:
'Desine, posco, meum post hęc te dicere servum,
Esse sed angelice consortem credito turme.
Nam mihi terrenis opus est non vescier escis,
200 Quem pascit domini semper praesentia summi;
Quapropter moneo domino libamine sacro
Hoc te ferre, meis satagis quod ponere mensis.'
Qui citus anniculum gregibus subtraxerat agnum
fol. 8r Sperans obprobrium Ruben cessasse vetustum
205 Immolat et domino gavisus pectore leto
Ignibus appositis, ut habet preceptio legis.
Angelus his votis, ut iussit, rite peractis
Altaris fumo sublatus pergit ad astra.

Iam tunc clementis paulatim gratia patris
210 Incoepit radiis mundo lucessere claris
Atque prior stabilem discordia sumere finem,
Cum sua celestes primum consorcia cives
Olim terrigenas promittebant habituros,
Quos prius e meritis Adam sprevere parentis.
215 Nec latuit tunc angelicum clementia coetum
Omnipatris, proprium qui mox post tempora natum
Mittere virgineum miserans disponit in alvum,
Ut sine principio natus de patre superno
Carnem virgineo sub tempore sumeret alvo
220 Omnes atque suo salvaret sanguine sacro,
Ne post hęc generis humani callidus hostis

195 dedignare *k.* **197** hęc] hinc *k.* **199** escis] *ita k,* aescis *M.* **202** teferre *mut. in* deferre *k.* **210** lucescere *k.* **218** supremo *M,* suppremo *k.* **220** salvaret] *ita k,* salueret *M.*

Gauderet mundum laqueis retinere malignis,
Sed patris et nati numen quoque pneumatis almi
Aequali forma pollens sub nomine trino
225 Finetenus stabilem regnaret iure per orbem.

Angelus astrigerum postquam transcendit olympum,
Vix patiens Ioachim tantę preconia causę
fol. 8v Et tactus iaculo terroris denique magno
Stratus adusque solum doni virtute superni
230 Pertimidus iacuit necnon sine mente quievit
Ipsius ⟨a⟩ sexta, ni fallor, forte diei,
Dum sol usque suum conclusit vespere cursum.

Interea pueri venerunt cum grege lassi,
Cumque suum dominum terra videre locatum,
235 Comminus adstantes ceperunt discere tristes
Causam terroris turbata mente recentis;
Ipsum percerte sed vix potuere levare.
Quis cum caelestis narrasset nuntia civis,
Suaserunt illi iussis parere supernis
240 Et rapido patriam cursu repedare relictam.
Qui gregibus lectis silvis discessit ab illis
Ac gaudens pueros secum deduxerat ipsos.
Et cum transisset spacium triginta dierum,
Angelus oranti sanctę comparuit Annae
245 Et cum pacificis deprompsit talia verbis:
'Exsurgens animo vultu quoque perge sereno
Ad portam subito, quae dicitur aurea vulgo;
Illic forte tuum summa cum pace reversum
Legalem dominum mox comperies fore vivum.'
250 Quę cicius dicto iussum complevit amandum

224 Equali *M, k.* **228** iaculo] *ita k,* iacŏlo M. **234** terra] *ita k,* tota *M.* **238** nuntia] *ita k,* nuncia *M.* **243** transisset] *ita k,* transissent *M.*

Impatiensque morę perrexit ad hostia portę
fol. 9r Pręstolata suum gavisa mente patronum.

Scilicet attonitis quem cum conspexit ocellis,
Caro florigerum percurrerat obvia campum
255 Ipsius et collo sese suspendit amando
Altithrono grates reddendo denique tales:
'Laus tibi, cunctorum largitor summe bonorum,
Qui mihi non merito concedis gaudia tanta!
Ecce virum proprium praesentem sentio salvum,
260 Tempore quę longo iam permansi viduata
Quęque fui sterilis, concepi gaudia prolis.'
Talibus auditis congaudens concinit omnis
Plebs Hebrea deo laudes cum pectore lęto.

Post haec noveno percerte mense peracto
265 Venit summa dies, in qua praenobilis Anna
Progenuit natam cunctis seclis venerandam.
Postque dies octo primi venere vocati
Pontifices, tantę solito qui more puellę
Nomen et aptarent ipsam quoque sanctificarent.
270 Quis Ioachim preculas fudit presentibus istas:
'Rex caeli, stellis solus qui nomina ponis,
Istius tenerę nomen dignare puellę
Caelitus indiciis per te monstrare coruscis.'

Dixerat, et subito sonuit vox fortis ab alto
fol. 9v 275 Mandans egregiam Mariam vocitare puellam,
'Stella maris' lingua quod consonat ergo latina;
Hoc nomen merito sortitur sancta puella,

251 Impaciensque *M*, Inpatiensque *k*. morę] *ita k*, more *M*. 252 Pręstolata] *ita k*, Prestolata *M*. 253 attonitis] *ita k*, *corr. ex* attonitus *M*. 267 octo] *ita k*, *corr. ex* acto *M*. 272 tenerę] *ita k*, tenere *M*.

Est quia praeclarum sidus, quod fulget in evum
Regis ⟨in⟩ aeterni claro diademate Christi.

280 Post hęc annorum meta vergente duorum
Fortunata suam dum sumpsit ab ubere natam
Ablactando piam genitrix de more Mariam,
Ocius in templo sistit cum munere digno
Ipsam, quę templum domini fuit immo futurum,
285 Quo sociata sacris virguncula parva puellis
Semper divinis illic perstaret in odis,
Quem merito cives celestes laude frequentant.

Post hęc in templi subsistens limine sacri
Ascensum graduum subito ter quinque supinum
290 Immemor aetatis, iam plena deo, puerilis
Audacter currit vultum nec retro reflexit,
Querat ut astantes infantum more parentes.

His super accensi mirantur denique cuncti
Astantes populi templi pariterque ministri,
295 Pontifices ipsi factum laudant quoque primi
Dicentes, tanto quod tunc infantula facto
Per se quid fieri presignaret cito magni
Et vere magni cunctis meritoque stupendi.

Quod credi maius vel quod posset fore maius,
fol. 10r 300 Quam quod virgineo portavit ventre puella
Magnum factorem mundi propriumque parentem?
Nec mirum, sursum cepit si figere gressum,
Infans lacteolis fuerat dum parvula membris,
Quam, pater alme, tuo ditasti flamine sacro,
305 Dum fuerat sanctę genitricis condita ventre,
Prescius hanc solam certe consistere dignam

278 Et *M.* **288** limite *M.*

Ad proprii partum nati per sęcula voti,
Qui post corporeę tectus velamine formę
Ascensum graduum cunctis patefecit in ęvum,
310 Per quos ad patriam tendunt remeare relictam;
Cui Christus nomen, cui laus sit celitus. Amen.

Scilicet et genitrix tali faetu bene felix
Conlaudans regem cecinit sic Anna perennem:
'Omnipotens rector, solus pietatis amator,
315 Clementer proprio fecisti mira popello,
Aspiciens humilem miserando meam quoque mentem
Iam desperatę donasti gaudia natę.
Audeo percerte post hęc tibi munera ferre
Nec vereor prohibere meum post hęc inimicum,
320 Quominus stem sacris templi sociata ministris.
Hinc te celestes conlaudant sedulo cives
Condignum carmen modulando perenniter. Amen.'
His ita finitis orantis scilicet orsis
fol. 10ᵛ Germine felices talis rediere parentes
325 Indolis in templo parva remanente Maria.

Omnes humanę nequeunt conprendere linguę,
Nec potis est stabilis, quamvis verbum sonet, orbis
Istius infantis preclaram dicere famam,
Sed nec mirandae vitam moresque puellę
330 Quis laudare modis potis est per saecula dignis,
Hęc quia continuo cunis subtracta puella
Maturis omni lucebat moribus orbi
Nec quicquam membris gessit puerile tenellis,
Ast in praeceptis fuerat iustissima legis

307 voti] noti *M.* **312** factu *M.* **317** desperastę *M.* **318** munere *M.* **320** Quominus stem] Quem uistem *mut. in* Quin uisitem *man. post. M.* **326** conprehendere *M.* **328** famam] *ita M,* formam *coni. Str.* **330** dignus *M.*

335 Necnon carminibus semper studiosa Davidis.
Hęc prudens, humilis, fervens dulcedine mentis
Omnibus atque placens, tota virtute refulgens;
Hanc hominis maledicentem non audiit auris,
Offensam sed nec quisquam cognoverat umquam.
340 Semper erat mitis necnon gratissima cunctis,
Et, quę nempe suo profluxit ab ore loquela,
Nectare gratiolę fuerat condita supernę.
Et cum quis verbis illi benedixit amicis,
Mox grates domino curavit reddere summo,
345 Nec sic divinis linguam retineret ab odis;
Exemplumque suis in se praenobile cunctis
Preponit sociis iam cunctigenę bonitatis.
fol. 11r Ipsius faciem niveo candore nitentem
Tradunt ardentis radios precellere solis
350 Necnon humanum penitus devincere visum.
Quid referam digitos operum satis arte probatos?
Namque manu docta perfecit parva puella

. . . .

Nempe sibi normam statuens ipsissima duram
Omnibus in templo vivebat strictius ergo
355 Virginibus reliquis illic pariter sociatis.
Nam tantum preculis studuit persistere sacris
Necnon divinis semper constanter in odis,
Ex quo discussae noctis periere tenebrę
Aurora spargente plagam lucem per eoam
360 Altius usque polum Phebo ascendente serenum
Tercia iam solito devenerat hora diei.
Tunc usu digitos operis laxaverat albos
Docte purpureis instando denique filis.

342 condita *corr. ex* condite *M.* **356** pręculis *M.* **358** discvssę *corr. ex* discessę *M (cf. Prud., Perist. XIII 26).*

Sed mox ut nona Phebus descendit in hora,
365 Se precibus solito reddit famosa puella
Ac studio mentis bene perduravit in illis,
Usque per angelicum sumpsit sacra virgo ministrum
Omni namque die missam sibi cęlitus escam;
Et quam pontifices dederant de more potentes,
370 Hanc studio mentis cicius concessit egenis.
fol. 11v Denique cęlestes lapsi de sidere cives
Hanc crebro verbis consolabantur amicis,
Spernere terrestrem quo mox didicisset amorem
Et castam regi mentem servare perenni.
375 Quisquis languidolis infirmus denique membris
Hanc saltim tetigit, raptim salvus remeavit.

Cuius cum stabilem volitaret fama per orbem,
Abiathar reliquos exorat sepe sacerdos
Pontifices templi precii non munere pauci,
380 Vellent praeclaram quo disponsare Mariam
Ipsius ęgregio legali foedere nato.
Quod fieri vero prohibet virguncula casta
Inclyta regalis spernens consortia stirpis,
Se quoque finetenus testatur nobile corpus
385 Eius coniugio percerte subdere nullo.
Talia pontifices cui mox dixere potentes:

'Nonne deus colitur digneque potens veneratur
In plebis Iudę legali posteritate?
Nec decet innuptam talem remanere puellam.'
390 Quis constans animo respondit talia virgo:
'Nam deus in templo gaudet requiescere mundo

368 aescam *M.* **369** Et quam] Escam *in ras. man. post. M.*
379 pauci] parci *M.*

Mentibus et sobriis nec delectatur in illis,
Crimine quos magno maculat lasciva libido.
Scimus Abel duplam merito sumpsisse coronam,
*fol. 12^r^* 395 Qui primus mundo iustus fuerat protoplasto,
Unam martirii fratris de cede peracti
Atque magis nitidam pro virginitate secundam.
Credimus Heliam cęlum petiisse secretum
Corpore cum vero, mansit quia virgo potenter
400 Nec corpus maculis umquam violavit amaris.
Haec didici certe legis ratione docente
Et discens animo mandavi sedula fixo
Meque puellarem vovi retinere pudorem.'

Postquam bis septem totos compleverat annos,
405 Non hoc esse sui moris, dicunt Pharisęi,
Aetatis tantę quod vellet virgo manere
Post hęc in templo domini sub honore sacrato.
⟨Hinc⟩ decreverunt populum concurrere cunctum,
Ut pariter tantam temptarent volvere causam.
410 Et cum sub tectis templi consisteret omnis,
Abiathar, quem iam memini, sub lege sacerdos,
Ascensum graduum conscendit namque supinum
Pręsul et astanti dicebat talia plebi:

'Ex quo constructum fuerat praenobile templum
415 Istud per magni regis studium Salomonis,
Ut scitis vere, manserunt semper in illo
Forma conspicuę vultus, aetate tenellę
Natę nobilium famoso germine regum
*fol. 12^v^* Atque sacerdotum vatum pariterque priorum,
420 Que celebres omni merito mansere popello.

393 lascivia *M.* **403** noui *M.* **408** Hinc] Mox *suppl. Celt. in M.* **412** superbum *M.* **419** piorum *M.*

Certe perfecta sed mox aetate recepta
Coniugibus tantę condignis sunt sociate
Multo magisque deo placuerunt semper ab illo.
More sed insolito sperat se virgo Maria
425 Posse placere viris domini pro nomine spretis.
Nunc quia non constat votum se reddere tantum,
Restat, ut altithronum precibus digne rogitemus,
Ut nos forte suis faciat cognoscere iussis,
Hanc cui legali fas sit cum federe iungi.'

430 Tali consilio consensu plebis adepto
Sortem pontifices miserunt primitus omnes
Inter namque tribus Israhelis duodenas;
Quę mox egregiam Iudę signat fore dignam.
Qua designata pręcunctis scilicet una
435 Precepere viros eiusdem germinis omnes,
Quos sine coniugibus fecit consistere casus,
Collectos ergo concurrere sole secundo
Et manibus virgas dextris conferre novellas.

His igitur cunctis toto conamine lectis
440 Advenit dignus senior Ioseph sociatus
Illis incurvam portans sub iudice virgam.
At vero summus virgas tollendo sacerdos
fol. 13r Gaudens cunctorum domino faciens holocaustum,
Quid fieri iubeat, fusis precibus rogitabat.
445 Cui mox indiciis divinis ista iubentur,
Tempore digesto sibi quę fuerant facienda.
Premonitus virgas qui misit protinus ipsas
In templi sanctum famosi iure secretum

421 Certæ *M.* 425 viris] tuis *M.* 427 pręcibus *M.* 429 cui] quia *M.* 431 pontificis *M.* 444 iubet *M.* 445 iudiciis *M.*

Demandans, quidni collectim luce sequenti
450 Iudę regales iterum venisse nepotes
Unumquemque suam rursum quoque sumere virgam;
Nam sibi pro signo dictum fuerat manifesto,
Virgo quod hęc credi deberet nobilis illi,
De cuius virga volitaret rite columba,
455 Que petiisse polum temptaret protinus altum.

Dum ter millę suas retinerent denique captas
Virgas personae praedicto tempore certę,
Nec signum populo praedictum redderet ulla,
Obtulit incensum presul venerabile rursum
460 Seque dedit precibus devoto pectore fusis.
Cui mox cęlesti dicetur voce precanti:
'Virgula namque brevis Ioseph iusti senioris,
Quę iacet in templo nec sollicitatur ab ullo,
Implebit merito signum memorabile sola.'

465 His ita finitis sonuit vox pontificalis
Mandans in mediam Ioseph procedere turbam.
fol. 13ᵛ Hic erat abiectus forma nullaque decorus,
Nec sibi conplacuit sociis interfore tantis,
Sed mage postremo gaudet remanere locello.
470 Qui, mox ut vocem sensit se forte vocantem,
Processit pavidus virgam conprendere iussus.
Ex qua continuo splendens egressa columba
Haut tardę celum fertur petiisse secretum.
His ita transactis laudes plebs concrepat omnis
475 Grates altithrono reddentes pectore laeto,
Cui placuit signo iustum monstrare novello.
Ipse sed ętatis non inmemor ulterioris
Protestans proceres se⟨se⟩ genuisse nepotes

463 sollicitetur *M.*

Magno percerte fertur rogitare pudore
480 Pontifices, Mariam quo non vellent sibi pulchram,
Ipsius proprio sed sponsam tradere nato.
Quod cum forte negant, se signatum quoque narrant,
Nec cuiquam credi sanctam debere puellam
Quam sibi, quem dominus solum fecit fore dignum,
485 Exorans alias cepit rogitare puellas
Mitti cum Maria causa solaminis ergo,
Quę veluti connutritę socięque coęvę
Illam colloquii scirent solamine dulci
Absque mora consolari, ne virgo pudori
fol. 14r 490 Coniuge pro vetulo fieret subiecta tenella.
Quod mox pontifices fieri iussere potentes.
Nam senior frustra sudaverat ista rogando,
Non sibi, sed Christo fuerat quia virgo dicata.

Postquam pontifices preculis cessere precantis,
495 Ioseph servandam suscepit namque puellam
Et pariter missas (ni fallor, quinque) puellas,
Quarum sic ergo creduntur nomina dicta:
Sephiphora, Zabel, Susanna, Rebecca, Abigea,
Quis opus ad templi pertingens namque sacrati
500 Traditur ornatum studiose perficiendum,
Coccus cum bysso, linum cum vellere Serum;
Purpura sed sanctę fulgens operanda Marię
Creditur ad velum domini templi pretiosum.

His super accense praesentes quippe puellę
505 Obprobrii causa dixerunt taliter ergo:
'Num te reginam constat post hec fore nostram,

491 potentes] parentes *M.* **492** Nam *eras.,* Sed *in ras. man. post. M.* **498** Sephiphona *M.* **501** Coccus] Purpura *M.* **503** pręciosum *M.*

Iam texenda tibi quia purpura creditur uni,
Non parvo cum sis iunior tu tempore nobis?'
Quę tunc ut semper bene sustinuit patienter
510 Talia nec verbo iam contradixerat ullo.

Astans sed cicius custos semper sibi fidus
Angelus astrigera dilapsus dixit ab aula:
'Non te, virgo, rogo, perturbent talia verba,
fol. 14v Istę percerte quia vatum more locutę
515 Iam nunc presaga dicebant voce futura,
Tu quia sola potenter eris regina perennis
Necnon stelligeri dominatrix inclita celi.'

Post hęc secreta residebat in aede quieta
Purpureos digitis filos operans benedictis.
520 Angelus et summus Gabrihel conspectibus eius
Astitit astrigera celorum lapsus ab aula
Virgineumque decus verbis affatur amicis
Iuxta cunctorum narrans oracula vatum
Ipsius e casto nasci dignarier alvo
525 Altithroni prolem mundo satis antiquiorem
Virgineique modum partus narrat memorandum.

Ergo non nostris potis est exponier orsis
Nobile colloquium longo sermone peractum
Virginis aeternę, Christi matris benedictę,
530 Partus et tanti sacra narrantis paranimphi.
Sed nec dactilicis opus est nos psallere cordis
Magnum merorem Ioseph durumque dolorem,
Frustra cordetenus quo iam fuerat cruciatus,

511 fidus sibi *(sign. invert.) M.* **513** Non *in ras. man. post. M.* **515** persaga *M.* **517** in celi *M.* **518** residebat *corr. ex* sedebat *(?) man. post. M,* sidebat *teste v. Winterf. p.* **528** longo *corr. ex* longa *M.* **531** c^{h}ordis (= chordis) *M.*

Talem dum gravidam sensisset forte puellam,
535 Qualiter et tristis solatur tempore noctis
Virginis intactę iussus curam retinere
Virginis et nati nobis de sidere missi.
fol. 15r Haec evangelici demonstrant cuncta libelli
Nostras et fragiles excedunt denique vires.
540 His nos transmissis, constant quia cognita cunctis,
Sermonem vobis tantum faciemus ab illis,
Rarius in templo que creduntur fore dicta.

Certe cum stabilem volitans urgueret in orbem
Undique subiectos describi iussio lectos
545 Cęsaris augusti censumque sibi profiteri,
Ioseph ad patriam Bethlem perrexerat urbem
Cum desponsata sibimet pregnante Maria.
Et cum famosis essent prope moenibus urbis,
Aspexit non corporeis, sed mentis ocellis
550 Comminus alma duos virguncula stare popellos,
Unum ridentem necnon alium lacrimantem.
Quod Ioseph vetulo narrans audivit ab illo:
'Contine subiecto tantum te rite iumento
Et noli, posco, narrare superflua verba.'

555 Dixerat et iuvenem coram prospexit herilem,
Qui sibi mysterium declaravit populorum
Talia sacrata dicens pro virgine verba:
'Cur dicis Mariam non verbula vera locutam
Indignatus eam secretum cernere solam?
560 Nam flentem populum merito vidit Iudęorum,
Qui mox a domino discedet corde maligno,

534 sensisset *corr. ex* sensisse *man. post. M.* **536** cvram *corr. ex* coram *man. post. M.* **537** sidere *mut. in* sydere *Celt. in M.* **542** Karius *M.* **543** urgueret *del. et in marg. scr.* veniret *Celt. in M.*

fol. 15ᵛ Contra gentilem sed leticia fluitantem,
Ad fidei magnum quia perveniet sacramentum.'
His dictis Mariam blande conversus ad almam
565 Tempus adesse sibi Christum narrat pariendi.
Que de subiecto descendit iussa iumento
Intrans speluncam sub terra rite locatam,
Que male praesentis penitus fuit inscia lucis
Et quam continuę semper tenuere tenebrę.
570 Sed, mox ut lucem genitrix paritura perennem
Hanc adiit, radiis cepit fulgere coruscis,
Nec post hęc ibi cęlestis lux defuit omni
Tempore, quo genitrix illic mansit bene felix.
Noctis tranquillę medio libramine certe
575 Illic hęc eadem genuit virguncula prolem
Gaudens divinam cunctis saeclis venerandam,
Cui nomen Iesus, cui sit laus gloria virtus,
Solvere qui veterum veniens oracula vatum
Se pro salvando venturum prescia mundo
580 Pacem cęlicolis fecit cum civibus orbis.
Quem genitum sacro castę de virginis alvo
Protinus angelicus circumstat denique cętus
Laudans submissis factorem vocibus orbis
Orans et puerum nobis de sidere missum.
585 Sed mater subito cunctis veneranda Maria
fol. 16ʳ Collocat angusto pręsepi membra tenella
Christi panniculis regem volvendo perennem.
Et pius interea Ioseph digressus ab illa
Mox obstetrices secum duxit mulieres,
590 Que Zelemi, Salome fuerant de nomine dictę.

577 IH̄C *M.* **579** uentvrvm *corr. ex* uentrvm *M.* **584** sidere *mut. in* sydere *Celt. in M.* **588** Et] *ita M,* At *coni. Str.*

Sola sed ingreditur Zelemi, Salomeque veretur
Tangere speluncam pedibus splendore repletam;
Mox quoque virgineum Zelemi tractans pię partum
Exclamans signi dixit bene credula tanti:
595 'Quid sibi non nuptę partus vult iste novellus?
Editus ecce puer regali germine nuper
Coniugis expertem bene declarat fore matrem.
Atque parens virgo natum lactat pie sola
Uberibus castis de cęlo iure repletis;
600 Non dolor est matri, nec est maculatio proli,
Ordine divino fieri sed talia credo.'
Hanc Salome vocem spernens non ficta loquentem
Dixerat auditis sese non credere verbis,
Ni probet ipsa sacram palma tangendo Mariam.
605 Hinc ingressa suam cepit protendere dextram
Audacter castam temptans palpare Mariam;
Sed talis pęnam confert audacia dignam.
Dextraque continuo temptatrix debilitata
Ingenti certe cruciatur iure dolore.
fol. 16v 610 Tunc Salome clamans animo subtristis amaro
Defectum dextre subitum deflevit ademptę
Moreque Iudaico proprium meritum recitando
Necnon iusticia sat confidens simulata
Talia celsithrono fertur dare verba dolendo:
615 'Testis cunctorum consolatorque laborum,
Tu scis, praeceptis fueram quod sedula legis
Quodque tui causa semper fueram bene larga
Pauperibus cunctis lectis de finibus orbis;
Qui maerens venit, de me quoque laetior ivit.
620 Et nunc pro meritis patior dampnum grave tantis.'

613 simulata *corr. ex.* famulata *M.* **619** merens *M.* me quoque *corr. ex* meoque *M.* lectior *M.*

Cui mox apparens iuvenis praelucidus infit:
'Panniculos pueri solummodo tange tenelli
Accedens istas ad regales cito cunas,
Ipseque maiori te restituet sanitati.'
625 Haec ubi iussa sibi sequitur solamina dantis
Tangendo minimum pannorum denique filum,
Sensit se subito salvam fore corpore toto
Et grates domino reddebat voce canora,
Qui sibi dignatur talem conferre salutem.

630 Ordine digesto postquam fuit ergo repleta
Visio pastorum, signum sibimet quoque dictum
De parvo puero praesepibus inveniendo,
Ipsius pueri quoque circumcisio Christi
fol. 17ʳ Nominis atque sui fulgens aptacio magni,
635 Reges astrologi solis de cardine lecti
Advenere, magi stellarum lege periti
Querentes urbem famosam denique Salem
Necnon Herodem constanti pectore regem
Sollicitant regis de nativitate recentis
640 Se vidisse novam fantes nuperrime stellam,
Quę regem natum demonstraret Iudęorum.

His rex turbatus secreta mente profanus
Accitis cicius scribis audivit ab illis,
Certe Bethleis nasci quod Christus in horis
645 Iuxta cunctorum deberet carmina vatum;
Scilicet atque magis iussit cum fraude remissis,
Ut puerum querant natum sibimet quoque monstrent,
Quem cupit occidi simulans se velle precari.
Qui monstrante viam stella pergunt cito rectam,

625 salomina *M.* **635** solis *corr. ex* solos *M.* **636** Aduenere *corr. ex* Aduenire *M.* **637** salæm *M.*

650 Intrant et pueri regalia tecta tenelli
Haut vario certe digestim picta colore,
Sideris obsequio tanti sed rite polita;
Proni vestigiis figentes oscula prolis
Orantes preculis humili quoque voce profusis
655 Trino cęlestem venerantur munere regem
Hunc hominemque deum designantes moriturum.
Qui mox in somnis moniti sub tempore noctis
fol. 17ᵛ Ad patriam lęti redeunt per devia ducti.

His ita digestis Herodes pessimus hostis
660 Augusti iussu Romam deducitur ergo,
Quo vel purgaret, lex ut Romana doceret,
Criminis inposita de magni se cito culpa
Vel capitis poenam iuste pateretur amaram:
Namque reus maiestatis dicetur herilis;
665 Et merito talem patitur iam suspicionem,
Qui cupit insidiis vulpino corde paratis
Prolem cęlestis divinam perdere regis.
Hoc nam divino nutu factum fore credo,
Quod tunc percerte Romam mandatur adire,
670 Quo sibi subtracto legis mandamina cuncta
Plenius in nato complerentur cito Christo.

Namque quater denis cursu ducente peractis
Virginei partus digestim rite diebus
Hic factor membris cęlorum namque tenellis
675 Sistitur in proprio parvo cum munere templo
Ulnis exceptus tremulis iusti Symeonis,
Et mundi dominus condignis est benedictus

660 iussv *corr. ex* iussio *M.* **672** dicente *M.* **674** membri scęlorum *(s eras.) M.*

Odis ex ipso iusto Simeone vetusto
Necnon famosa presagis vocibus Anna.
680 His quoque completis iuxta mandamina legis
Ad patriam Bethlem redierunt protinus urbem.

fol. 18r Nam post hęc binis mansurnis pene repletis
Hostis ab exilio veniens perversus amaro,
Quod dixere magi, volvebat mente dolenti,
685 Se nati stellam regis vidisse decoram.
Haec recolens proceres regni rogitabat heriles,
An redeundo magi venissent mente fideli
Vel quid de nato demandarent sibi Christo.
Qui mox responsis pariter dicunt bene firmis
690 Se nescire, magi fuerint si forte reversi
Nec quid de nato sese perdiscere rege.

His super accensus rex Herodes furibundus
Mittens infantes occidi protinus omnes,
Qui tunc Bethleis fuerant, precepit, in oris,
695 Se semper vivum sperans extinguere Christum
Posse. Sed in somnis monitus Ioseph venerandus
Pergit in Aegyptum vasti per devia secum
Deducens heremi Iesum cum matre tenellum
Nocti terrestris Christo dominante timoris.
700 Talia sed solito fecit pietate superna,
Egipti tenebras propria quo luce vetustas
Mox illustraret per se penitusque fugaret.

Contigit ergo die quadam requiescere velle
Iuxta speluncam sancta cum prole Mariam.
705 Que sat lassa solo fuerat cum forte locata
fol. 18v Scilicet in gremio Iesum molli refovendo,

684 uoluebat *corr. ex* uollebat *man. post. M.* **699** Noui *M.*
701 Egipti *corr. ex* Egipta *M.* **704** sanctam *M.*

Multi terribiles procedunt namque dracones
Ex hac spelunca, pro qua fuit ipsa locata;
Quos Ioseph pueri cernentes obstupefacti
710 Ceperunt certe magno clamare timore.
At puer e gremio matris surrexit amando
Iesus, sacratis stabat mitis quoque plantis
Contra frendentes turbata mente dracones;
Qui subito proni ceciderunt mansuefacti
715 Orantes tacitis factorem nutibus orbis,
Ipseque digrediens heremi per devia vasti
Illos prȩcessit sequier sese quoque iussit.

Quo Ioseph viso genetrix Christique sacrata
Exanimes fragilis pro consuetudine carnis
720 Facti sat pavitant puerum ledique timebant.
Ipse sed, inspector mentis testis quoque cordis,
Haec responsa dedit timidis conversus et inquid:
'Quare lactantes tantum tractabitis artus
In me, virtutem capitis nec mente perennem?
725 Quamvis humanis sim parvus homuntio membris,
Vir tamen omnipotens summo sum numine pollens,
Condecet atque feras silve mansuescere cunctas
Me coram rabie dimissa rite priore.'

Post hȩc magnanimes cum pardis namque leones
fol. 19ʳ 730 Necnon cunctigenȩ venerunt undique lectȩ,
Ut sensere ferȩ prolem factoris adesse,
Orantes puerum submissa voce tenellum
Circa praeclaram gaudentes atque Mariam.
Quam super insolito pavitantem denique signo
735 Letius intuitus fertur sic dicere Christus:

710 clamare *corr. ex* clamore *M.* **712** IH̄C *M.* sacrans *M.* **724** peraennem *M.* **731** forȩ *in* ferȩ *correxisse videtur man. post. M.*

'Non te, virgo, rogo, pollens, genitrix mea cara,
Permoveat signi novitas carnaliter almi,
Obsequii sola veniunt istae quia causa,
Non quod te vellent vel saltem ledere possent.'
740 His quoque discessit dictis angustia cordis.
At vero belvę praecedebant bene lętę
Demonstrando viam per deserti loca rectam;
Sed nec nocturnis discesserat ulla sub horis,
Et Ioseph pecori sociatę mente fideli
745 Oblita rabie naturalique furore
Pacificę modici gustabant pascua fęni.
Inter quas ergo fuerat concordia tanta,
Ut quondam timidi iunxere lupis latus agni,
Et bovibus mites bene conmansere leones.
750 Sed non inmerito, cęlorum pax quia vera,
Quo regit inmensum, firmavit foedere, celum,
Illarum mentes mutato more fideles.

Post hęc pausavit radiis lassata caloris
fol. 19ᵛ Estivi cara palmę Maria sub umbra
755 Et sursum versis claris aspexit ocellis
Fructibus hanc palmam maturis esse refertam.
His visis lingua formavit talia verba:
'Istius palmę nimium delector onustę,
Si potis est fieri, de fructu denique vesci.'

760 Cui senior vetulus legis moderamine iustus
Haut blande dictis Ioseph mox obviat istis:
'Hoc miror certe nimium te dicere velle,

738 veniunt *corr. ex* uinivnt *Celt. in marg. M.* iste *M.* **739** saltem *corr. ex* satim *M.* **744** Et] S *mut. in* S_7 *(=* Sed*) man. post. (an Celt.?) M.* **746** modice *M.* **747** quos *M.* **748** quodam *M.* **755** rursum *M.* **760** Qui *(init. litt.) M.*

Cum videas ramos magno de germine ductos
Astris contiguos celum pulsare profundum.
765 Ast ego praecogito summa tantummodo cura,
Si saltim valeam puram conprendere lympham,
Utribus in nostris quia nec est guttula fontis.'
Haec heros igitur venerandus sic loquebatur,
Ceu desperaret, quod presens omnia posset
770 Christus, corporeis tectus fuerat quia membris.
At puer in gremio carę genitricis amando
Accumbens palmam gaudens se vertit ad ipsam
Functus et imperio praeclarę quippe paterno
Ipsi continuo dicebat fronte serena:
775 'Arbor, flecte tuos summo de vertice ramos,
Ut, quantum libeat, de te mater mea carpat.'
Dixerat, atque suis arbor fortissima iussis
fol. 20r Ante pedes Marię parens inflectitur alme.
Fructu cumque suo penitus fuerat spoliata,
780 Incurvata stetit nec surgens alta petivit,
Opperit imperium Christi sed rite probatum.
Ipseque 'Te subito', dixit, 'nunc erige, palma,
Ut sis lignorum post haec collega meorum,
Quę paradisyacis constant plantata locellis;
785 Et radice tua deduc extimplo secreto
Undas fonticuli fluitantes gurgite dulci!'
Quę cicius dicto complentur denique cuncta.
At prolis comites fontem lustrando recentem
Reddebant grates laetato pectore dulces
790 Atque sitim limphis tristem dempsere novellis.
Cumque profecturi deserti per loca vasti
Essent, ad palmam Iesus sic dixerat ipsam:
'De te quippe meo precepto, palmula, mando,

785 radicę *M.*

Angelus ut cęlo veniens dilapsus ab alto
795 Tollat rite tuo ramum de vertice summo
Necnon hunc ipsum plantet mox in paradysum.
Et tibi gloriolam super hoc iam confero tantam,
Ut post haec summi dicaris palma triumphi;
Et quisquis bello famose vicerit ullo,
800 De te vincenti dicetur protinus illi:
Ad palmam magni venisti namque triumphi.'

fol. 20v Haec ubi dicta dedit, dilapsus sidere venit
Angelus et tollens ramum divexit in altum.
Quo viso cuncti praesentes obstupefacti
805 In terram proni consternuntur tremefacti,
Quos Iesus subito solatur talia fando:
'Non opus est certe vobis formidinis ulle,
Hunc quia transferri ramum per sidera iussi,
Ut mox delicię magno plantetur in horto
810 Et, velut hic in deserto mea iussa sequenda
Implevit magno nosmet studio satiando,
Sic illic sanctis constet dulcedo perennis.'

Talibus ac tantis signis iam sedulo visis
Ioseph virtutem prolis tractando perennem
815 Utitur his verbis submisso murmure fusis:
'Ecce calor nimius nostros male decoquit artus;
Nunc, tibi si placeat, cuius regnum iuge constat,
Praecipe per pelagi calles nos pergere vasti,
Urbibus appositis quo certa quies data nobis
820 Nos cicius spacium faciat percurrere tantum.'
Cui dixit Iesus divino numine clarus:

804 opstupefacti *M.* **805** consernuntur *M.* **809** plantetur *corr. ex* plantatur *M,* plantatur *teste v. Winterf. p.* orto *M.* **812** peræнnis *M.* **814** peraennem *M.* **817** placeat *corr. ex* placet *M.*

'Namque viam subito longam per me breviabo
Et, quod ter denis potuit vix ante diebus
Metiri, faciam diei spacio repedari.'

825 His dictis Sotinen viderunt ocius urbem
fol. 21ʳ Egypti magnam famosis menibus altam.
Hanc introgressi petierunt limina templi,
In quo stulta deos consuevit ponere falsos
Gens pagana suos perverso more colendos.
830 Mox sed ut intravit sancta cum prole Maria,
Omnia falsorum pariter simulacra deorum
In terram subito ciciderunt denique prona
Iam cognoscentes regem venisse perennem
Atque deum verum magna virtute deorum.

835 Tunc est impletum, fuerat quod carmine dictum
Olim percerte modulantis tale prophetę:
'Ecce super levem dominus veniet cito nubem,
Pro cuius sancta facie decet omnia nempe
Egypti subito conquassari simulacra.'

840 Haec Afrodisio postquam fuerant recitata,
Urbis namque duci prędicte valde potenti,
Illic cum sociis festinat pergere multis.
Quod cum pontifices templi sensere profani,
Sperabant illum variis mox perdere pęnis
845 Hos, qui damna diis fecerunt talia stultis.
Ipse sed in terra cernens simulacra decora
Obtutu prono passim volutare minuta
Lumine caelestis raptim succensus amoris

825 soniten *M.* **827** limina *corr. ex* lumina *M.* **833** peraennem *M.* **840** Haęc *M.* **841** ducis *M.* **847** volitare *M.*

Et fidei sacre mutato denique corde
fol. 21v 850 Substitit atque suis gaudens dicebat amicis:
'Ecce patenter adest dominus super omnia pollens,
Quem fortasse dii tacito cum murmure nostri
Iure deum verum contestantur fore solum.
Restat, ut ipsorum prostrati more deorum
855 Devota regem veneremur mente perennem,
Que fecit regi memorantes iam Pharaoni,
Qui sua plus iusto sprevit mandamina sacra,
Ne nosmet foveam mortis detrudat in atram.

Dixerat atque solo prostratus corpore toto
860 Volvitur ante pedes sanctę rogitando Marię
Graciolam pueri constanter voce fideli,
Quem mater gremio gaudens portavit amico.

O laudanda tue virtutis gloria, Christe,
O miranda sacrę semper mutatio dextre,
865 Qui nutu tacito potis es disponere cuncta!
Quis volet ergo tuę pietatis munera magne,
Unice nate dei summo similis genitori,
Mirari digne merita vel dicere laude,
Qui nostri causa fecisti tanta stupenda?
870 Tu sine principio natus de patre superno
Per praecepta patris complesti viscera matris
Ex hac corpoream sumens sub tempore formam;
Quique vales proprio mundum concludere palmo,
fol. 22r Panniculis stringi non raris haut respuisti;
875 Et qui stellato resides solio super aethra,
Parvo presepi contractus procubuisti;
Et qui multigenis imponis nomina stellis

855 peraennem *M.* 857 speuit *M.* 863 *Sine init. litt. M.*
873 conducere palma *M.* 874 stringi] tstrigi *M.*

Ac pluvie guttas, pelagi quoque solus arenas
Rite potes numero per te comprendere certo,
880 Ut fragiles pueri patienter conticuisti,
Tempore virgineas quo suxisti pie mammas.
Insuper Herodem nulla formidine regem,
Sed sola certe fugisti pro pietate,
Quo carnis veram demonstrares pie formam;
885 Et mox absque mora fecisti saxea corda
Nam paganorum mollescere non domitorum
Et sentire tuum solidum per tempora regnum,
Quo te divinis moniti scirent fore signis
Ipsum, qui solo fecisti secula verbo,
890 Et quem cunctorum cecinerunt carmina vatum.
Hinc genitore tuo maneat per secula cuncta
Gloria de cunctis et laus aeterna creatis,
Qui tibi dilecto nescivit parcere nato,
Et tibi, Christe, decus perpes, victoria, virtus,
895 Sanguine qui mundum fuso redimis periturum,
Flamine cum sacro secli per tempora cuncta,
Gracia caelestis per quem conceditur omnis!

fol. 22v Qualia retribuam factori munera nunc iam
Pro cunctis digne, mihimet quę reddidit ipse,
900 Qui pius indignam solita pietate famellam
Me, licet exiles, fecit persolvere grates?
His super angelicę celorum, posco, caterve
Collaudare deum non cessent sedulo verum.

---

899 reddit *M.*

DE ASCENSIONE DOMINI. HANC NARRATIONEM IOHANNES EPISCOPUS A GRAECO IN LATINUM TRANSTULIT

fol. 23r POSTQUAM CORPOREO CHRISTUS VELAMINE TECTUS
Temporis implevit spacium sacri venerandum,
Quod cum terrigenis mansit dignanter homullis,
Qui solus maculis potuit sine vivere cunctis,
5 Ut per se mundo demonstraret redimendo
Gaudia perpetuę quondam male perdita vitę,
Postque triumphalem sanctamque piam quoque mortem,
Quam nostri causa patienter pertulit ergo,
Dum victor magno fregit luctamine tela
10 Humani generis sevissima fortiter hostis
Sanguinis et precium proprii gratis dedit amplum
Pro nobis animam deponens in cruce caram,
Necnon gloriola surgentis rite peracta
Atque quater denis diei spaciis replicatis,
15 In quis discipulis apparens sedulo caris
Esse sua nostram monstrat cum morte peremptam
Nec mortis vinclis se posse tenerier artis,
Qui solus culpę fuerat sine sordibus Adae,
Postremo caris isdem monstratur amicis
20 Montis oliviferi pręcelso vertice quidni
Astans astrigeram mox ascensurus ad aulam
Affaturque suos cum tali voce ministros:
'Ut pater in mundum me promisit sibi carum,
Sic ego mitto meos dilectos vosmet amicos.

tit. A GRECONIA IN (NIA IN *in ras.) M.* 1 *Post init. litt.* P *minusculis pergit M.* 5 mundo] modo *M.* 6 quandam *M.* 7 Postquę *M.* 14 spacii *M.* 17 Nec] Nennon *M.* 19 isdem monstratur amicis *corr. ex* issdem monctrauit amicus *M.* 21 assensurus *M.* 24 meo *M.*

fol. 23v 25 At vos in gentes cicius cunctas abeuntes
Illas perpetuę vitę mandata docete
Credentes sacra purgantes ocius unda
In patris et nati pariter quoque flaminis almi
Nomine, quo veteris deponant crimina sordis;
30 Et virtute mea varios depellite morbos
Necnon imperio praedones cogitę vestro
Sęvos, obsessum linquant ut pectoris antrum,
Illis predulcem servantes mentis amorem,
Laedere vos odiis qui temptant semper amaris.
35 Ex hoc percerte possunt prenoscere cunctę
Gentes discipulos vos esse satis mihi caros,
Si colitis vestros puris animis inimicos.

Finetenus memores persistite scilicet omnes,
Quae vestri causa passus fuerim sine culpa.
40 Nonne meam faciem Cherubin non cernere talem
Possunt in regno, qualis nitet ergo, paterno?
Iudęi spurcis hanc sed petiere salivis
Maxillisque meis alapas tribuere malignas
Atque manus clavis ligno fixere cruentis,
45 De limo pulchrum quis plasmavi protoplastum,
Cum quibus et caelos extendi denique celsos
(Nam si respicio terram, pavitat tremefacta,
Nec mis terroris potis est vim ferre potentis);
fol. 24r Et precedentes acriter caput atque moventes
50 Me male Iudaei deridebant scelerosi.
Haec cum dampnandis paterer pacienter ab illis,
Ipsos vindicta volui non perdere iusta,
Sed crucis in ligno mortem gratis paciendo

35 percepte *M.* 42 patiere *M.* 43 Maxillisquę *M.* 45 Dę *M.*
51 pateret *M.*

Oravi patrem clementius omnipotentem
55 Illis continuo dimittere crimina tanta
Suadens exemplo tali, quae sunt facienda,
Ut mea caelestis fieret doctrina fidelis,
Et ne quis fictis auderet dicere verbis:
»Ecce, quod ipse pati respuit, nos ferre suasit,
60 Et, quod non fecit, faciendos nos fore dixit.«
Sponte prior mortis subii discrimina tristis
Ceu pastor verus cordis bonitate fidelis
Pro propriis animam ponens ovibus pie caram
Necnon complevi multum pietate fideli
65 Omnia, quę vates de me dixere priores.
At nunc ascendo cinctus virtute paterna
Ad patrem victor summum super aethra locatum.
Sed non turbari cordis rogitabo fidelis
Vestri secretum, quia non vos forte relinquam
70 Ceu desolatos in mundo namque pupillos:
Sacri gratiolam vobis sed flaminis almam
Emittam cicius, quę vos verum docet intus:
fol. 24v Insuper ipse dies vobiscum scilicet omnes
Finetenus maneo mundi per tempora cuncta.'

75 **H**aec ubi dicta dedit, conversus denique dixit
Ad matrem propriam mansueta voce Mariam:
'Nec contristeris, rogito, virguncula casta,
Cum me precelsos videas ascendere caelos,
Te quia preclaram mundi non linquo lucernam
80 Atque meum sanctum migrans non desero templum
Nec incorruptam vitę dimitto coronam,
Inveni solam pre cunctis te quia castam
Condignamque meum corpus generasse sacratum.

56 tali quae] taliq: *M.* **59** suauit *M.* **62** pastorum *M.* **66** descendo *M.* **71** flammis *M.* **80** deserto *M.*

Certe de mundo cum te discedere mando,
85 Ad te caelicolas non solum mitto catervas,
Ipse sed adveniens animam sumam benedictam
Multum sole quidem rutilanti splendidiorem
Necnon angelicis deductam suaviter hymnis
Ocius astrigeram ponam veneranter in aulam.
90 At nunc Iohannem tecum remanere fidelem
Impero, qui gemmis fulget bene virginitatis,
Ut tua vita magis praefulgeat inclyta, castis
Sepius obsequiis circumdata virginitatis.'

Ilicet angelicus dicentem talia coetus
95 Ipsum dulcisonis laudans circumdedit hymnis,
Et mons contegitur subito cum nube sereno.
fol. 25ʳ Conveniunt illic veterum cunei quoque vatum,
Inter quos medius David rex psallere doctus
Cantans in cytharis hortatur talibus orsis
100 Natum caelestis solium petiisse parentis:
'Exaltare super caelos, fortis deus, altos
Atque super totam mundi tua gloria terram.'
Scilicet angelicis suadens ait ista catervis:
'Exaltate deum modulato carmine nostrum
105 Orantes in monte suo crebra prece sancto,
Iste deus dominus noster constat quia sanctus.'

Et Christus Iesus vultu ridente reversus
Discipulis iterum verbis dicebat amicis:
'Pax vobis, fratres, semper mihi rite fideles,
110 Velle meum qui fecistis necnon faciatis,

86 sumam *corr. ex* summam *M.* **88** angęlicis *M.* **94** *Init. litt.* I *suppl. man. saec. XV M.* caetus *M.* **96** mors *M.* **104** Exaltare *M.*

Ecce meam stabilem vobis do denique pacem
Ac vobis ipsam pacem dimitto perennem.'
Haec ait et cicius propria virtute levatus
Ascendit diri victor super aethera loeti
115 Obsequio nubis circumseptus rutilantis.
Quem sursum fixis cum respexisset ocellis
Plebs doctrix fidei claustris caeli patefactis
Pergentem sursum cunctis famulantibus astris,
Mox duo nempe viri stellato cardine lapsi
120 Astiterant illis induti vestibus albis,
fol. 25v Qui satis angelicis dixerunt talia verbis:
'Dicite, posco, viri, cur suspicitis, Galilaei,
Vultibus attonitis stantes oculisque supinis?
Hic certe Iesus, vobis mirantibus unus
125 Assumptus caelos qui transcendit super altos,
Hac veniet iudex forma, qua pergit ad aethra.'

Tunc David Christum cernens super aethra levatum
Commovit cytharam divina laude repletam
Haec et lęticia ⟨psallebat⟩ congrue magna:
130 'Ascendit deus in iubilo magnus super astra,
Necnon in tubę dominus clangore sacratę.'

Post haec intonuit solio vox patris ab alto
Dicens ad proprium divino famine natum:
'Tu meus es carus percerte filius unus,
135 Semper iure mihi qui multum complacuisti,
Tu sine principio verbum patris quoque verum
Et mea de cęlo solus sapientia vera.
At nunc in dextra victor requiesce paterna

112 peraennem *M.* **116** respexit *M.* **117** clautris *M.* caęli *M.* **122** galei *M.* **126** aethera *M.* **127** aethera *M.* **128** tytharam *M.* **137** sapientia] pacientia *M.*

Gaudens, usque tuos ponam cunctos inimicos
140 Sanctorum per sęcla pedum tibi rite scabellum.'

Postquam naturam iam de busto redivivam
Humanam solio Christus patris intulit alto,
Omnes angelicę submissa voce catervę
Laudabant ipsum, qui regnaturus in aevum
fol. 26r 145 Mortem devicit moriens mundumque redemit,
Ut regnare suos faceret per sęcula servos.

Haec quicumque legat, miseranti pectore dicat:
'Rex pie, Hrotsvithe parcens miserere miselle
Et fac divinis persistere caelitus odis
150 Hanc, quę laudando cecinit tua facta stupenda.'

---

147 *Init. litt.* H *deest M.*

O pie lucisator, mundi rerumque parator,
Qui cęlum pingis sideribus variis
Solus et astrigera regnans dominaris in aula
Numine cuncta tenens imperioque regens;
5 Tu, qui per proprium fecisti saecula natum
Et rerum trinam ex nihilo machinam
Quique protoplasto de terra rite creato
Oris divini nectare nempe tui
Sensus vitalem sufflasti forte liquorem,
10 Ut fixum digiti esset opus proprii,
Tu dignare tuae perfundere corda famellę
Hrotsvithe rore tis pie graciolae,
Carmine quo compto valeam pia pangere facta
Sancti Gongolfi, martyris egregii,
15 Et laudare tuum semper nomen benedictum,
fol. 26v Qui post bella tuis grata dabis famulis
Premia perpetuę tenui pro vulnere vitę
Mandans in regno vivere lucifluo.

PASSIO SANCTI GONGOLFI MARTIRIS

TEMPORE, QUO REGNI GESSIT PIPPINUS EOI
20 Francorum sceptra regia pro populo
Iureque magnifico rexit Burgundia regna
Subiectos frenis rite domando suis,
Famosus iuvenis nutritur partibus illis
Armis prevalidus corpore conspicuus,

5 fecistis *M.* tit. *minusculis scr. M.* 19 *Post init. litt.* T *minusculis pergit M. Sequens lin. cod. M vacat, an ob init. litt.?*

25 Nomine Gongolfus, morum probitate venustus;
Omnibus hic carus extitit et placidus.
Illum nempe ferunt ortum de germine regum
Regalemque suis moribus egregiis.
Ipsius e matris gremio spes pendet in illo,
30 Qui verbo cuncta condidit ex nihilo,
Germinis et tanti sese non credit honori,
Sed transit meritis almiciem generis.
Inclyta nam genitrix tali fętu pie felix
In mundi lucem fudit ut hanc sobolem,
35 Ocius abluitur vetulis baptismate culpis,
Quas protoplastes obtinuere patres;
Crismatis unguento scripto sibi fonteque signo
fol. 27r Ascitur natis aecclesiae nitidis,
Pascitur et plene fidei mox dogmate trinę,
40 Dum vagit cuna corpore lacteolo:
Lac quocies suxit, tocies fidei sacra sumpsit
Suspensus matris uberibus geminis.
Talibus incubuit, lactis dum gurgite vixit;
Hinc pulsus gravido ferbuit ingenio,
45 Caniciemque senum membris meditando tenellis
Non raro sacris nempe vacat studiis.

Quem mox inberbem tota probitate vigentem
Gracia Pippini principis almifici
Regali non inmerito sisti iubet aula
50 Ardenter talem corde colens iuvenem.
Sed pietas illum quamvis iustissima regis
Ditaret tante munere gloriolę,
Regius ut primis esset proconsul ab annis,
Turgenti fastu non tamen erigitur,

25 gingulfus *M.* **31** credidit *M.* **34** hanc] hatic *M.* **41** suxit *corr. ex* sucxit *M.* **47** uirgentem *M.* **53** primus *M.*

55 Pectore sed tales humili fastidit honores
Suspirans aulae munera sideree.
Nam patrii census fuerat sibi maxime partus,
Dividit et tanto pauperibus studio,
Ceu Christum miseros inter sentiret egenos
60 Arridere suo munere fronte pio;
Sepe Iob atque viri normam tractando beati
fol. 27v Ipse manus manco, pes fuit et podagro,
Se necnon orbo cautum prebebat ocellum
Exemplum cunctis nobile dans populis.
65 Nec minus humanis sudavit denique causis
Aequalem primis se faciens dominis.

Nam, male si nostras aures simulata vetustas
Non rebus fictis luserat et dubiis,
Hic, quem nostra manus cepit iam pingere, sanctus
70 Est assuetus iter quadrupedum sequier,
Sedulo venando lassat quoque membra decora
Succumbens cari imperio domini.
Ipsius et telum numquam scit cedere victum,
Cum sint ferrati oppositi cunei,
75 Aufert ⟨praeclarum⟩ semper sed ab hoste triumphum
Tutus divino caelitus auxilio.

Certe non nostrę possunt dictando camenę
Composito modulis texere dactilicis,
Quantis dilectum signis variaverat istum
80 Rex regum summa pro bonitate sua,
Sed tamen, inculto quamvis sermone, latrabo
Unum de claris pluribus et variis.

56 munere *M.* **59** aegenos *M.* **69** quę *M.* **70** asuetus *M.* **71** uenendo *M.* **74** obposito *M.* **75** Offert *M.* **77** prosunt dictanda *M.*

Ut res facta probat, turmas ducendo preibat
  Capturus populum Marte satis tumidum;
85 Extitit et solito victor mox denique bello
fol. 28r Eius non leso sanguine purpureo,
Gentibus adversis proprio quoque iure subactis
  Censum signavit; pace data rediit.
Contigit et ducente via se pergere iuxta
90 Cuiusdam septa pauperis opposita;
Quis latuit pictum vernanti flore locellum
  Tectum multiplicis germinis atque comis,
Necnon fonticulus vitreo candore serenus
  Profluxit rivo rura rigans stridulo.
95 Hic ubi preclaros senior deduxit ocellos
  Perlustrans liquidam fonticuli scatebram;
Frigoreę captus limphę paulisper amore
  Substitit et placitis tardat iter morulis
Et mittens puerum venisse rogabat ad illum
100 Domnum florigeri ipsius ergo loci,
Qui precepta ducis complens extimplo iubentis,
  Quo fuerat iussus, egreditur cicius.
Hunc dux ipse quidem dum respexit venientem,
  Aggreditur blandis protinus alloquiis
105 Atque rogans humilis tota dulcedine mentis
  Formavit lingua talia verba sua:
'Dulcis amice, meis precibus sis, postulo, largus
  Et vendas purum hunc mihi fonticulum,
Qui clarus vitreis et suave sonantibus undis
fol. 28v 110 Prolambens arva irrigat ista tua:
Et mox argenti tibi pro mercede probati
  Largiter infundo pondera non modica.'

95 preclaros *corr. ex* preclarus *M.* **100** Domum *M.* **108** Ut *M.*

Ast ubi tinnitum dando promissio laeta
Aures persone intrat in exigue,
115 Laeta nitet facies, totę volitant quoque venę,
Cordis secreto quae latuere loco.
Tunc miser in talem cepit prorumpere vocem
Ultra, quam credas, spem dubiam siciens:
'O nostrate decus, nulli pietate secundus,
120 Quem colit eous mente, fide populus,
Quid tibi, quid digni potis est mea lingula fari?
Nonne tuis manibus est sita nostra salus?
Et quicquid mihi per verbum sancis faciendum,
Quamvis difficile sit satis atque grave,
125 Attamen est ęquum tibi me parere, beatę,
Ut dulum summo exiguum domino:
Si placet hinc vetulum me transmigrare colonum,
Non contraluctor, sed tua iussa sequor.'
Haec ait et pressis frenat sua verbula labris,
130 Nec post verbosa quid loquitur ligula.

Et contra vir regalis pie talia fantis
Suscepit dicta pro bonitate sua
Et cicius dicto solvit promissa misello
fol. 29r Illi centenos attribuens solidos.
135 Haec ubi perfecit, raptim redeundo migravit
Nitens ad patriam pergere posthabitam.
Tunc, qui non gnari fuerant signi venerandi,
Olim facturus quod fuit altithronus,
Blasphemare ducem tacitis cepere susurris
140 Et pietatis opus spernere ceu facinus.

113 tinnitum *corr. ex* tinnidum *M.* **115** Laeta nitet] Laetam et *M.* **118** sciens *M.* **121** lingula fari *in ras. M.* **126** dudum *M.* **130** loquitur] sequitur *M.* **133** promissa *corr. ex* promisso *M.* **134** attribuens *corr. ex* attrebuens *M.*

Credite non latuisse dolum pietatis homullum,
Sed mox nudari clancula dicta sibi.
Qui dedit arguto vocem tunc nempe palato
His verbisque suos alloquitur socios:
145 'Cur libet, o socii, vosmet reprehendere, cari,
Plus iusto verbis me satis illicitis
Causa stulticię dicentes me tribuisse
Nummos ignoto extraneoque viro,
Me vacuum tanti meritoque dolere lucelli
150 Et bene mercati utpote fonticuli,
Dextra ceu propria, census est quę pie larga,
Aurum pro donis si dederim minimis?
Non decet hoc nostris vobis reserarier orsis,
Quid velit addicti causa sibi precii;
155 Mentes sed motas prestat componere vestras,
Et, rogo, parcatis talibus alloquiis
E vobisque virum caute nunc credite gnarum
fol. 29v Emissis ventis aeribusque vagis,
Ut iam semotum cicius repetendo locellum
160 Lustret, si vena fonticuli liquida
More suo flores inter bene multicolores
Perstrepat undisono murmure per lubrica:
Tunc patet, ille lucris sese si iactat ab illis
Rusticus ambobus, me vacuo penitus.'

165 Haec postquam memorat, cursim quidam remeabat,
Tante dimenso atque vie spacio
Oppido predictum lassus pervenit ad arvum,
Quo fuerat domino vendita limpha pio.

141 Credito *M.* **148** extranequę *M.* **149** dolore *M.* **151** Dextera *M.* lalga *M.* **162** murmure] mule *M.* **163** si iactat] sua actat *M.* **165** cursim *corr. ex* cul si *M.* **166** adque *M.* **168** limpa *M.*

Non tamen extimplo pedibus, quamvis curiosus,
170 Attigit atrioli limina florigeri,
Applicat inpexis iuxta sed se paliuris
Necnon hirsutis vepribus et tribulis,
Quis fuit incultum solito rus undique tectum,
Nec spineta pede horruit appetere,
175 Iungere prescriptis ardens sua lumina septis,
Ut lustraret aquę amniculum vitreę.
Sed tamen adtonitis frustra prospexit ocellis,
Fons quia desinerat prorsus et hinc aberat.
Tunc se iuncturas volvebat mente per artas
180 Clare non posse cernere sepicule;
Ac tractim rigida necnon cervice superba
fol. 30r Incedens gressum vertit in atriolum
Sperans, sub foliis quod forte lateret amoenis
Florum multimodis undola tecta comis.
185 Cumque locum peteret fundumque sitire probaret,
Qui quondam validis luxuriavit aquis,
Usque solum stratus vacua spe non bene lusus
Cepit arenosa lingere nempe loca
Temptans, exiguam posset si lambere guttam,
190 Sed nec presiccam tinxerat hinc ligulam.
Tandem Gongolfi sensit pia facta sacelli
Se dolet et meritis credere nolle piis.

Hinc postquam rediit socios iterumque revisit,
Aspexit nubem aere conspicuam
195 Iuxta dulce capud Christi volitare famelli
Instar candidoli denique pallioli.

171 inspexis *M.* **177** adtonitis] admonitis *M,* admotis *coni. Celt. et Str. (at cf. Prv 16,30* adtonitis oculis *et infra Gong. v. 540).* **178** hinc] hitic *M.* **183** amoænis *M.* **185** lacum *M.* **194** conspicuam *corr. ex* conspicuum *M.*

Hanc capiens oculis cepit depromere verbis
  Fontis defectum, quem didicit, subitum,
Suaserat et sociis dubium deponere cordis
200 Et meritis sancti iam credulos fieri.
Talia colloquiis dum verba loquuntur amicis,
  Applicuere sui in propriis domini,
Moenia florigero fuerant ubi structa locello
  Circum diffusis arboribus variis.
205 Hic Christi carus gressum direxit amicus
fol. 30v Mente libens atrio currere purpureo
Et baculum tractis, gessit quem denique, nervis
  In terram fixit moxque domum petiit.
Illic innumeri certabant rite ministri
210 Instantes variis fortiter officiis,
Ipsi qui mensas dapibus ponunt honeratas
  Poscentes tandem solvere sero famem.
Sed prius invalidam iussit procedere turbam,
  Quam suevit mensa pascere sepe sua,
215 Ac propriis ipsa manibus plene saturata
  Se tandem mensa applicat apposita.
Accumbunt pariter Franci per moenia fusi
  Gustantes bachica munera laeticia.

Interea somnum sidus suadebat eoum,
220 Nox vicina nigras et minitat tenebras,
Atque quies epulas subito sequebatur amica
  Serpens per membra ebrietate data:
Dux pius insomnem cepit transducere noctem
  Intenta dominum voce precando suum.

197 uerbi *(?) M.* **201** colloquis *M.* **203** Maenia *M.* **204** difusis *M.* **210** Intantes *M.* **211** Ipso *M.* honeratis *M.* **217** Accubunt *M.* **219** eous *M.* **221** sequębatur *M.*

225 Postquam nox scissis discessit victa tenebris,
⟨Et⟩ lux orta plagam cinxerat ethereā m,
Venerunt pueri tironum sorte potiti
Portantes cari calciolas domini
Et pulsant aulam noctis pro tempore clausam
fol. 31r 230 Orantes aditum iam fieri patulum.
Sed dux paulisper siluit somnum quoque finxit;
Post velut e somno evigilans gravido
Solvere custodi vectes iubet interiores
Pandere triclynium militibusque suum;
235 His introductis limpham manibus petit albis,
Sed nutu domini defuit altithroni.
Tunc vir securus Christi pietate beatus
Unum de pueris ocius egregiis,
Ut sibi deferret virgam, misit, memoratam,
240 Quam sero proprium fixit in atriolum.

Qui cursu rapido saliendo per herbida rura
Circumfert lubricos atque vagos oculos
Inquirens baculum terrę tempore sepultum
Et nactum tractis arripuit digitis
245 Extraxitque solo parva remanente caverna,
Post haec conspicuum ut fieret titulum.
Certe quo facto cecidit nubecula parva,
Quę volitans aura ante fuit vacua,
Evomit et tumidas ipso disrupta locello
250 Undas prescripti denique fonticuli,
Mansuras scatebre venas quoque fixit aquose,
Virgula praefixa quo fuit exigua.

225 *Init. litt.* P *deest M.* scissis *corr. ex* sciscis *M.* **234** multibusque *M.* **238** egregis *M.* **246** fieret] *ita M, Celt. coni.* faceret **247** Certo *M.*

At puer obstupuit vocemque per aera spargit
fol. 31v Suadens militibus affore iam cicius
255 Illis atque novi narravit gaudia signi,
Que rex milicię annuit angelicę.
Dum subito cuncti tanto signo tremefacti
Tollunt mirantes ad superos facies
Expansisque suis omnes ad sidera palmis
260 Laudum carminula concinuere deo,
Ecce palatinus pelvem manibus tulit unus,
Implevit limpha quem cito conspicua,
Laeto Gongolfum vultu quoque pergit ad almum,
Ut sibimet signum diceret insolitum;
265 Et coram tanto subsistens fronte serena
Consule de rostro haec dedit egregio:

'Laetus', ait, 'merito sumas rarissima dona,
Quę tibi non terra contulit exigua,
Sed rex ipse poli summo de vertice caeli
270 Per nubis mirum miserat officium.
Hinc nos laeticiam constat nunc carpere magnam,
Sortitus tantam es quia gloriolam.'

Ilicet econtra fatur dux ore sereno
Reddens responsa talia voce pia:
275 'Non decet haec meritis', inquid, 'sat credere nostris,
Umquam tantilli nil quia commerui;
Restat multiplices Christo sed pangere grates,
fol. 32r Qui praesens famulis semper adest propriis.'
Dixerat et solito tinxit se fonte novello,
280 Lotus et altithrono haec cecinit domino:

254 affore iam fore cicius *M.* 259 palmis *corr. ex* parmis *M.* 273 *Litt. init.* I *deest M.* e contra *mut. ex* ex contra *M.* 277 *Post* Restat *eras.* quia *M.*

'O semper pietas, nostrae spes unica vitę,
O vis divine maxima gratiole!
Odis quis potis est dignis opus omnipotentis
Artificis mundi ęquiperare dei,
285 Qui nova preteritis reddit non dissona signis
Omnia per genitum secla regens proprium?
Haec sunt virtutis proprie miracula, Christe,
Qui quondam populo utpote Iudaico
Petram iussisti latices effundere dulces
290 Et fel triste laci dulce satis fieri.
Inde potestatis non inmemor, agne tonantis,
Qua rerum trinam iure regis machinam,
Hoc nunc et nostris voluisti credere terris
Indicium magne nobile gloriole,
295 Quo discant teretem degentes sepe per orbem
Te semper solum esse fuisse deum.
Hoc quoque nunc, Iesu, donum concede precatu,
Abluat ut morbos iste liquor varios,
Quo te dulcisonis conlaudet vocibus omnis,
300 Qui se salvatum sentiat et validum.'
Haec ait, et vocem sequitur salus alma loquentem,
fol. 32v Fitque salubris aqua: laus pia sit domino!

Post haec per vasti volitans cito climata mundi
Proditrix signi fama satis placiti
305 Non solum patrios hortatur nempe colonos,
Quis fungi dono contigit aurivago,
Sed quoque languidolos de longinquo peregrinos
Undique collectos accelerare citos

286 Omnam *M.* **289** lactes *M.* **291** alme *M.* **295** sepe *corr. ex* spe *M.* **297** donum] domino *M.* **299** dulsonis *M.* **303** climata] machina *M.* **306** fungier *M.*

Et nullo precio medicinę sumere dona
310 Gustando tantum fonticuli modicum.
Crebrius incultam videas procumbere turbam
Volventem membra litore languidola,
Ut possis variis obsessos credere morbis
Affore Iudaici languidolos populi,
315 Qui quondam quinis in porticibus Salomonis
Fusi piscinae obice Bethsaidę
Certabant medico limpham turbante superno,
Primule quis morbos ablueret varios
(Lege quidem tali miro sub sorte potiti,
320 Ut mox illapsus exueret dedecus)
Pluribus in lucem suspensis egre sequentem,
Qui pro spe vitę efflagitant avide,
Ut raptim medicus supero de cardine lapsus
Turbaret modicam vel pede piscinulam:
325 Haut alias isti cupiere salutis avari
fol. 33r Tangere vel guttam fonticuli minimam
Et gustu primo veteri sanitate recepta
Pulsabant odis sidera dulcisonis
Grates pro tanto reddentes munere Christo,
330 Qui sancti meritis grata dedit miseris;
Laudibus aeque virum tollunt super aethera dignum,
Tanta sui causa quod tenuere bona.

Si vacet aequales meritis protendere laudes
Et mores tanti egregios duculi,
335 Ante dies noctis peplo veletur Olympo,
Quam metam nostra optineat ratio.

316 obicę *M.* **329** mune *M.* **331** equę *M.* **335** uelatur *M.* olympo *mut. in* olympho *man. minus docta M.*

Haec sed linquentes doctis tractanda poetis
Pingamus cepta nos fragili calamo.
Certe Francorum populus dum risit eous
340 Illustris meritis et bonitate ducis,
Blanditur magnis procerum precibus seniorum
Hic Christi carus, gentis et omne decus,
Quo sibi condignam vellet sociare puellam
Federe legali coniugii soliti,
345 Ne finem caperet subducta posteritate
Inclita regalis prosapies generis.

His tandem monitus Gongolfus dux venerandus
Sat tactus blandis atque patrum monitis
Igni conspicuam proprio iungebat amicam
fol. 33v 350 Regalem genere et nitidam facie;
Hanc iussit liquidam semper deducere vitam,
Compositam castis moribus et studiis.
Ei mihi, sed coluber cupidus, versutus, amarus
Ingenium nupte illicit indocile:
355 Scilicet infelix Gongolfi clericus audax
Ardebat propriam plus licito dominam.
Pro dolor, haec male victa dolo serpentis amaro
Infelix cicius aestuat in facinus,
Inherens servo cordisque calore secreto
360 Legalem dominum respuit ob famulum.
Crimina tunc hostis scalpsit nudare feralis,
Quę caluit proprio structa fuisse dolo,
Inpaciensque morae vacuas iaculabat in auras
Divulgando suam denique leticiam.

337 liquentes *M.* tractando *M.* **347** monitus] *ita M, an legendum* motus*?* gongulfus *M.* **354** illicet *M.* **356** licito *corr. ex* lito *Celt. in M.* **363** more *M.*

365 Dum fuerat vulgo res diffamata dolenda
Francorum gentis omnibus indigenis,
Pulsu linguarum tenues conflatur ad aures
Sancti Gongolfi consulis almifici.
Ut capit ⟨auditu⟩ latebras illapsa per artas
370 Verbula non minimae nuncia mesticię,
Ingemuit tam triste nefas dignissimus heros,
Angoris magno tangitur et iaculo;
Intus in angusto volvit quoque pectoris antro
fol. 34r Res sibi diversas triste dolendo duas:
375 Primule vindictam poenali lege parandam
Pro sceleris tanti crimine terribili,
Post vero veniam solite pietatis amandam;
Et dolet ad tempus hinc nimium dubius.
Certe sed meritam solvit tandem pie poenam,
380 Diffamare scelus nec placet ulterius,
Sollicitus tantum miserę crimen prohibere,
Ne post haec temere viveret in scelere.

Cumque piam curis mentem laxaret in illis,
Contigit atriolo currere se proprio
385 Contra fonticuli sibimet prius hostia missi
Nubis per mirum caelitus officium.
Hic ubi Gongolfus subsisteret ipse beatus,
Coniux lasciva affuerat subito,
Quam mox pacificis affatur denique verbis
390 Talia dictando ore satis gravido:
'Parte tua famam didici persepe sinistram,
Quod corrupta toro sis male si proprio,
Differo sed vulgo tractare tui miserando,
Donec forte sciam, te-ne fuisse ream;

368 gongonfi *M.* **370** minime *M.* **371** tristę *M.* **373** antro] aula *M.* **375** penali *M.* **382** Nec *M.* **387** ubi *corr. ex* hubi *M.*

395 Nec mando multam subito concurrere turbam
Accitam flendo undique concilio,
Ut volvat gnarus subtili sorte senatus
fol. 34v Causam terribilis et meritum sceleris:
Sed suadebo manum dextram te tinguere tantum
400 Presentis limpha fonticuli gelida;
Et si non subito dampni quid contigit ergo,
Ultra iudicio non opus est alio.'
Que tunc plus iusto confidens corde superbo
Confortante suam demone duriciam
405 Fundo nudatam committit denique palmam
Nil sperans damni posse sibi fieri.
Inter frigoreas ardens sed comperit undas,
Quid posset nostri dextera celsa dei:
Scilicet in madidis audax ardebat harenis,
410 Uritur et flammis acriter aequoreis
Et, quę pacificis fastidit cedere verbis,
Cogitur aeternę cedere iusticię.

O semper nostri facilis mutatio Christi,
O virtus iusti iudicis aequa dei!
415 Nam, quę iactando tinxit se, triste dolendo
Exuitur tincti pellicula brachii;
Nec mora, cum palmam retulit, quod forte negavit,
Portavit crudum criminis indicium.
His ita digestis pavitat mens conscia fraudis,
420 Ultra nec victę spes fuerat veniae,
Tantum certa mori corruptelamque piari
fol. 35r Loetali poena ocius apposita.
Sed tristis meritam mentis mitigaverat iram
Princeps Gongolfus, arbiter egregius,

397 forte *M.* **400** forticuli *M.* **406** posse *corr. ex* pose *M.*
409 harenas *M.* **416** Exuritur *M.* **422** Laetali pęna *M.*

425 Mandans, ut propria damnandus clericus ergo
Expulsus subito pergeret e patria,
Quo sua finetenus mala defleret scelerosus
Seclusus patria et datus exilio,
Et donat miseram veniae miseratus honore,
430 Ultra sed proprio non locat in thalamo.

Post haec Gongolfi fama crescente beati,
Laudatrix vitę quę fuit almifice,
Vaffer deceptor hominum captorque reorum
Evolvens bilem invidiae veterem
435 Fraudibus omnigenis antiquę calliditatis
Temptavit famam evacuare bonam,
Ne gens exemplo tali tantoque suasa
Ante superba sua colla daret domino.
Tempore tunc longo sudavit fraude maligna
440 Ledere famosum, nec valuit, duculum,
In soles quia multo magis vis crevit amoris
Illius magni cordibus in populi.

Postremo fraudis miserum circumdedit armis,
Quem sceleris causa reppulit e patria,
445 Sanguinis huncque siti iussit fervere superbi,
fol. 35v Nec scivit proprio parcere iam domino.
Tali suffusus subito cum felle misellus
In mortem iusti estuat atque pii
Ac parili repetens ganeam feritate malignam
450 Illi nudavit omnia, que studuit.
Ocius haec eius pravis (heu) subdita votis
Optavit cicius iam fieri facinus

427 scelerorus *M.* **428** Set lusus *M.* **429** miseram *corr. ex* miserat *M.* **430** sed *corr. ex* se *M.* **434** inuidii *M.*

Tendit et insidias iusto clam nempe nefandas
   Inmemor antiquę (ah) penitus venię,
455 Qua se de poena solvit iam rite paranda
   Nec patitur vitam morte perire ream;
His ingrata magis socio consensit iniquo
   Servilique lupa uritur igniculo.
Cumque polum tegeret tenebris nox conscia fraudis,
460 Sensit dampnanda tempus inesse lupa,
Quo male Gongolfum possunt extinguere sanctum,
   Haec et perverso nunciat armigero;
Qui resecans coxam stricto mucrone sacratam
   Sancti Gongolfi martyris eximii
465 Deseruit patriam fugiens cum coniuge caram
   Raptus amore suę indomitę dominę.
Sed non legalis finem ceu nescit amoris,
   Sic vindicta suam nescit habere moram,
Viscera sed subito profudit caelitus acta,
fol. 36r 470 Pridem lęticia quę fuerant tumida;
Sicque miser celsa prostratus vindice dextra
   Vita mercatam perdiderat ganeam.

Nam martir sanctus furtivo vulnere lesus
   Dum mortis gustum ebiberet rapidum
475 Necnon supremis moriens spiraret in horis,
   Astabat coetus comminus angelicus
Voce ciens stabilem corpus deponere testem
   Contextum venis fictile languidolis
Necnon angelicis blanditum suaviter hymnis
480 Mox celi calles carpere sidereas.

465 claram *M.* **467** ceu nescit] ut nesciuit *M.* **471** caelsa *M.* **476** cętvs *M.* **480** capere *M.*

Ocius expirans animam martir bene lotam
   Agni lucenti sanguine purpurei
Tollitur ex aura vehiturque per astra serena,
   In cęli porta sistitur et domino.
485 Hic sibi de Christi fertur mox laurea rara
   Et manibus bravii palmula perpetui,
Lucentique stola cuneis coniungitur albis
   Per vulnus loeti, quos tenet aula poli.

Funeris interea magni fit pompa parata,
490 Ornant exequie corpus et exanime;
Plangebant cuncti casum tantique patroni,
   Ipsius famuli maxime sed miseri.
Eligiturque locus tumulo locuples venerando,
fol. 36v Quem tradunt veteres Tul vocitare patres;
495 Illic Gongolfi condebant membra beati
   Sacros spargentes cum lacrimis cineres.
Post hęc non raro visitabant ossa sacrata
   Querentes certum denique pręsidium:
Sternuntur sacro procerum quoque corpora busto
500 Pro vitę causis instabilis variis;
Ast, qui sceptra gerit, prostratus marmora lambit
   Et libat tumulo oscula marmoreo
Munere spe dictis rogitans, quo martiris almis
   Pro meritis Christus sit sibi propitius.

505 Quid referam turbam templi pro limine iactam,
   Quidve loquar vota illius innumera?
Hęc certe nullus potis est conprendere sensus,
   Nec possunt ulle dicere litterulę.

483 uegiturque *M.* **485** xp̄o *M.* **489** Muneris *(init. litt.)* *M.* parati *M.* **498** dinique *M.* **503** almi *M.* **506** loquor *M.* **508** posunt *M.*

At contra vero testis prosperrimus ipsis
510 Largitur talis munera dulcedinis,
Omnis ut absque mora sentit fore prospera cuncta,
Efflagitant testem pro quibus egregium:
Hic certe leto cecus visu reparato
Haurit mox oculis lumina clara suis,
515 Atque diu clause reserantur vocibus aures,
Et gressus plantis redditur invalidis;
Hic quoque de variis morbus depellitur egris
fol. 37r Mundatis membris denique languidolis.
Orsis non valeo digne praeclara monere
520 Munera, que populus hic metit egregius.
Nec solum cari refoventur amore patroni,
Quis cives tanti contigit esse viri;
Sed pariter terris habitantes forte remotis
Sentiscunt promtum martiris auxilium.
525 Hinc se felicem iactat Tul terra per orbem,
Que molli gremio confovet ossa sacra.

Denique summatim coepi quia tangere sancti
Gongolfi facta martiris egregia,
Restat, uti tenui repetam sermone misellam
530 Illius indignam coniugio ganeam,
Quodque dedit signum merito dampnanda baratro
Invita propriis conveniens meritis.
Certe victoris cum iam lętissima testis
Pulsaret celsi sidera fama poli
535 Totos et stabilis fines percurreret orbis
Divulgans tantę gaudia gloriole,

512 Et flagitant *M.* **514** fulmina *M.* **516** blantis *M.* **517** moribus *M.* **519** mouere *M.* **527** caepi *M.* **529** ut *M.* **531** Quotque *M.* **536** gloriole *corr. ex* groriole *M.*

Gaudens devotus quidam currebat homullus
E busto signis composito variis
Obvius atque lupae factus supra memoratae
540 Substitit attonitis aspiciens oculis,
Hanc quoque pro meritis dictis affatur amaris
fol. 37v Conformans ligula talia verba sua:
'O nimis infelix flammis credenda meretrix,
Iamne piget fraudis, penitet aut sceleris
545 In sanctum domini non iusta mente patrati,
Solo lascivi consilio socii?
Nam miserando tui pando medicamina sani
Optima consilii mox capienda tibi
Suadens, ut sacrum queras maerenda sepulchrum
550 Abstergas fusis et maculas lacrimis,
Illic exanimis sancte quia condita testis
Prefulgent signis fragmina non minimis;
Et, licet indignam, spero te posse misellam,
Si defles culpam, consequier veniam.'

555 **P**estiferis sed mens vitiis male dedita totis
Ad vite rectam rennuit ire viam
Solaque nunc lętę complectens lubrica vitę
Non curat patrię gaudia perpetuę.
Sic hęc infelix commissi criminis auctrix
560 Fastidit verbis credere pacificis,
Se quia credebat causis totam perituris
Nec spem mansuris gestit habere bonis.

543 O nimis] Omnis *M.* **544** haut *M.* **548** mox *corr. ex* mor *M.* **549** maerenda] merenda *M;* maerendo *coni. v. Winterf.* **551** sanctę *M.* **560** credere] *ita M, an legendum* cedere*?* **561** Sed *M.*

Scilicet auditis verbis non falsa loquentis
Intorquens oculos subdola sanguineos
565 Exagitat caput indomitum inpacienter in illum
fol. 38r Et latrat rostro talia pestifero:
'Cur loqueris frustra simulans miracula tanta
Sedulo Gongolfi pro meritis fieri?
Haec, que dicuntur, certe non vera probantur,
570 Non desint signa illius ut tumulo
Haut alias, quam mira mei miracula dorsi
Proferat extrema denique particula!'

Dixerat, et verbum sequitur mirabile signum
Illi particulę conveniens proprię:
575 Ergo dedit sonitum turpi modulamine factum,
Profari nostram quale pudet ligulam.
Et post hęc verbum quociens formaverat ullum,
Reddidit incultum hunc tocies sonitum.
Ut, que legalem respuit retinere pudorem,
580 Sit risus causa omnibus inmodica,
Finetenusque suę portet per tempora vitę
Indicium proprii scilicet obprobrii.

---

576 pudit *M.* **579** respuet *M.* **582** Iudicivm *M.*

PASSIO SANCTI PELAGII PRECIOSISSIMI MARTIRIS, QUI NOSTRIS TEMPORIBUS IN CORDUBA MARTIRIO EST CORONATUS

Inclite Pelagi, martir fortissime Christi
Et bone regnantis miles per secula regis,
Respice Hrotsvitham miti pietate misellam,
Me, tibi subiectam devota mente famellam,
fol. 38v 5 Que te mente colo, carmen quoque pectore prono,
Et fac exigui supero de rore rigari
Pectoris obscurum iam mis clementius antrum,
Quo possim laudum condigne mira tuarum
Famosumque tuum calamo signare triumphum
10 Et, quam nobiliter mundum cum morte cruentum
Vicisti nitidam mercatus sanguine palmam.

PARTIBUS OCCIDUIS FULSIT CLARUM DECUS ORBIS
Urbs augusta nova Martis feritate superba,
Quam satis Hispanii cultam tenuere coloni,
15 Corduba famoso locuples de nomine dicta,
Inclita deliciis, rebus quoque splendida cunctis,
Maxime septenis sophię repleta fluentis
Necnon perpetuis semper praeclara triumphis.
Olim que Christo fuerat bene subdita iusto,
20 Fudit et albatos domino baptismate natos.
Bellica sed subito virtus bene condita iura
Mutavit sacrae fidei spargendo nefandi
Dogmatis errorem populum laesitque fidelem.

tit. *minusculis scr. M.* MARTIRIO] martino *M.* 3 Respic *M.*
12 *Post init. litt.* P *minusculis pergit M.*

Perfida nam Saracenorum gens indomitorum
25 Urbis Marte petit duros huiusce colonos,
Eripuit regni sortem sibi vi quoque clari
Extinxitque bonum regem baptismate lotum,
Qui pridem merito gessit regalia sceptra
fol. 39r Et cives iustis domuit quot tempora frenis.
30 Hostili ferro certe quo iam superato
Ac reliquo victo tanta de cede popello
Ductor barbaricę gentis, structor quoque pugne,
Vir sat perversus vita rituque profanus,
Vindicat imperii sortem sibi denique tanti,
35 Collocat et socios populato rure nefandos
Implens maerentem non paucis hostibus urbem,
Polluit et veterem purae fidei genetricem
Barbarico ritu, quod nam miserabile dictu,
Paganos iustis intermiscendo colonis,
40 Quo sibi suaderent patrios dissolvere mores
Deque profanato secum sordere sacello.

Agmen sed tenerum Christo pastore regendum
Iussum perversi respuit mox triste tyranni
Dicens malle mori, legem quoque morte tueri,
45 Vivere quam stulte sacris famulando novellis.
Quo rex comperto non absque sui fore damno
Sensit, si cunctis pariter predivitis urbis,
Quam crebro validę cepit luctamine pugne,
Civibus excidium mortis conferret amarum.
50 Ob quod decretum prius immutando statutum
Sanxit mox legem vulgato dogmate talem,

24 Perfidi *M.* sara cenorum *mut. ex* sacra cenorum *M.* **25** colonos *mut. in* colones *M.* **26** uim *M.* **30** superato *corr. ex* superata *M.* **36** merentem *M.* vrbem *corr. ex* orbem *M.* **39** intermiscedo *M.*

Ut quisquis regi mallet servire perenni
fol. 39v Et patrum mores olim servare fideles,
Hoc faceret licito nulla post vindice poena
55 Hac solum caute servata conditione,
Ne quis praefate civis pręsumeret urbis
Ultra blasphemare diis auro fabricatis,
Quos princeps coleret, sceptrum quicumque teneret,
Seu caput exacto cicius subiungere ferro
60 Et sententiolam loeti perferre supremam.

His ita digestis simulata pace quievit
Obruta mille malis tocies urbs nempe fidelis.
Sed si quos ignis Christi succensit amoris,
Martiriique sitis suasit corrumpere dictis
65 Marmora, que princeps comptus diademate suplex
Corpore prostrato veneratur ture Sabeo,
Hos capitis subito damnavit denique poena:
Sed superos anime petierunt sanguine lotę.

Casibus his plures volvebat Corduba soles
70 Subdita per longum paganis regibus aevum,
Donec sub nostris quidam de germine regis
Temporibus regnum suscepit sorte parentum
Deterior patribus, luxu carnis maculatus,
Abdrahemen dictus, regni splendore superbus.
75 Qui nam christicolis faciebat more parentis
Librans arbitrium fidei supra memoratum
fol. 40r Nec satis iniustum solvit pietate decretum,
Auctor quod sceleris, populator perfidus urbis,
Sanxit, dum regem superaret Marte fidelem;
80 Sed volvens animo, servans quoque corde profundo

54 pęna *M.* **56** pręsumpret *M.* **61** pate *M.* **64** satis *M.*
67 pęna *M.* **73** Deterior *(init. litt.) corr. ex* Deteriu/ *M.*

Sepius innocuo madefecit sanguine rura
Corpora iustorum consumens sancta virorum,
Qui Christo laudes ardebant pangere dulces
Ipsius et stultos verbis reprehendere divos;
85 Insuper et tanto fastu se iactat in aula
Sacrilegus meritas cumulans sibi denique poenas,
Ut regem regum semet fore crederet ipsum,
Eius et imperio gentes omnes dare colla,
Ullum nec tanta populum feritate refertum,
90 Qui temptare suas auderet Marte catervas.

Dum tumuit fastu licito iactantius isto,
Audiit inde locis gentem degere remotis,
Gallicia regione sitam belloque superbam,
Christi cultricem simulacrorumque rebellem,
95 Quę sua continuo temptaret spernere iura
Velle negans dominis olim fore subdita pravis.
Quo rex comperto fervebat dęmonis ira
Corde gerens veterem serpentis denique bilem
Volvebatque diu flammato dedecus astu,
100 Quid faceret tantis, animo tractans, inimicis.
fol. 40v Tandem nempe dolo cunctis iam forte retecto
Affatur proceres praedivitis urbis heriles
Talia pestifero latrando verbula rostro:
'Non latet imperio reges succumbere nostro,
105 Vivere nostrarum necnon moderamine legum
Omnes, oceanus gentes quas circuit altus.
Sed, que Gallicios retinet fiducia captos,
Nescio, gratiolę respuant ut foedera nostrę
Et tandem veteris sint ingrati pietatis.

86 Sacrilegis *M.* pęnas *corr. ex* pęna *M.* **91** tvmuit *corr. ex* timuit *M.* **104** succubere *M.*

110 Restat, ut armatis repetamus quippe lacertis
Gallicios hostes agitando forte rebelles,
Donec ex nostris strati per secula telis
Inviti nostris summittant colla catenis.'

Haec postquam iactat causamque doli memorabat,
115 Iussit collectis vulgus concurrere turmis,
Armorum variis instructum denique signis,
Pergeret ut gentem secum delere fidelem
Ostentatque suum gemmato casside vultum
Ferrea lascivis inponens tegmina membris.
120 Tali cumque locum peteret pompa memoratum
Et gentem primo temptaret denique bello,
Extimplo tantum sortitur namque triumphum,
Ut iam bis senos una cum principe captos
Illaqueat comites artis stringitque catenis.

fol. 41ʳ 125 His procerum dampnis magna feritate paratis
Cessit victa suis fidissima gens inimicis
Subditur atque iugo perversi regis iniquo;
Tunc restaurato rursus quoque foedere primo
Loris procedunt vincti comites duodeni
130 Cum concaptivo victi rectore popelli.
Qui cicius vinclis dissolvuntur resolutis
Exempti proprię precio gaze numeroso,
Sed ducis est precium iussu regis duplicatum,
Ultra quam propriis posset persolvere gazis.
135 Cumque sui causa regi deferret avaro,
Quicquid habere domi sibimet suevit preciosi,
Casu condicti parvum quid defuit auri.
Quod rex sentiscens, fraudem quoque mente revolvens

132 numoroso *M.* **134** gazis *corr. ex* gazas *M.* **136** Quę quid *M.*

Dixit nolle ducem populo dimittere dulcem,
140 Ni prius indictum plene solvat sibi censum
Non sitiens tantum precii, quod defuit, aurum,
Quantum rectorem populi gestit dare morti.

Cui fuerat natus praeclari germinis unus
Omni praenitida compostus corpore forma,
145 Nomine Pelagius, formę splendore decorus,
Consilio prudens, tota bonitate refulgens,
Qui vix transactis iam tunc puerilibus annis
Attigit aetatis primos flores iuvenilis.
fol. 41ᵛ Cumque sat inmitem patri sciret fore regem,
150 Tali merentem blanditur voce parentem:

'O mi care pater, mea suscipe verba libenter,
Et, que commoneo, sensu bene percipe prompto.
Calleo namque tuam senio decrescere vitam,
Viribus et propriis nervos penitus vacuatos
155 Nec te posse quidem levis quid ferre laboris;
Ast ego sed validis dominabor quippe lacertis
Ad tempusque potens dominis succumbere duris.
Quapropter moneo precibus blandisque rogabo,
Ut regi natum me deponas tibi carum,
160 Donec sufficias precium persolvere totum,
Ne tua canities vinclis intercidat artis.'

At senior contra dicebat voce severa:
'Desine tanta loqui, dulcissime, desine, fili,
Ne merore meos ducas in tartara canos.
165 Nempe salute tua pendet tantum mea vita,
Et sine te spacium valeo, pie, vivere nullum.

143 Cui *corr. ex* Qui *M.* **162** Et *(init. litt.) M.* **165** Nenne *M.*

Tu decus omne meum, tu gloria magna parentum,
Es quoque subiecti nobis spes sola popelli.
Quapropter patriam prestat me linquere caram
170 Necnon Hispaniam vinctum penetrare superbam,
Quam te grandevę vinclis spem tradere vitę.'

Non tulit ergo patrem Pelagius ista loquentem,
fol. 42r Sed mulcet dictis mentem cari genitoris
Et cogit blandis, quod suasit, velle loquelis.
175 Consensit precibus tandem genitor venerandus
Tradidit et natum semet redimendo misellum.
Tunc rex Pelagium iussit perducere secum
Et laetus rediit patriam victorque revisit.

Nullus pro meritis credat factum fore regis
180 Hoc, quod tam pulchra vincebat denique pompa,
Sed mage iudicio secreti iudicis aequo,
Ut populus tanto correptus rite flagello
Fleret totius proprii commissa reatus,
Vel quo Pelagius Christi pro lege necandus
185 Forte locum peteret, quo se morti dare posset
Necnon sanguineum pro Christo fundere rivum
Inpendens animam domino bene morte piatam.

Postquam rex urbem tetigit sevus locupletem
Portans praeclarum iusta de gente triumphum,
190 Ilicet egregium Christi pręcepit amicum
Carceris in tenebras vinctum submergere nigras
Deliciisque cibo nutritum pascere parvo.

168 Ees *M.* **171** Quante *M.* **172** Non tulit] Contulit *(init. litt.) M,* N *in marg. scr. Celt.* loquentem] sequentem *M.* **178** lactus *M.* **181** iuditis *M.* **184** quo] quod *M.*

Corduba namque locum servat sub fornice tetrum,
Oblitum lucis consignatumque tenebris,
195 Maxima qui miseris fertur fore causa doloris.
Illic Pelagius praepollens pacis alumnus
fol. 42v Clauditur imperio regis cogente nefando.
Illic ergo viri venerunt sedulo primi
Mulcendo mentem iuvenis causa pietatis.

. . . .

200 Necnon praedulcis gustassent ipsius oris
Verbula rethoricę circumlita melle loquelę,
Optabant speciem vinclis absolvere talem;
Hęc et suaserunt regi iam sceptra tenenti.

Ipsum felicis certe summum caput urbis
205 Corruptum viciis cognoscebant Sodomitis
Formosos facie iuvenes ardenter amare
Hos et amicicię proprię coniungere velle;
Huius namque rei memores animo miseranti
Causa Pelagii suaserunt talia regi:

210 'Non decet ergo tuum, princeps fortissime, sceptrum,
Duriter ut puerum mandes punire decorum
Obsidis et teneros insontis stringere nervos.
Eius praenitidam velles si cernere formam
Et tam mellitam saltem gustare loquelam,
215 Quam cuperes iuvenem tibimet coniungere talem
Gradu milicię necnon assumere prime,
Corpore candidulo tibi quo serviret in aula!'

Post v. 199 versus intercidit, quem Celt. ita suppl. in M: Qui cum vidissent vultum capti speciosum. **202** obsoluere *M.* **205** uciis *M.* **207** coniugere *M.* **210** Non decet *corr. ex* Condecet *man. post. M.*

His rex mollitus dictis, hac voce coactus
Iussit Pelagium nodis evellere duris
220 Omneque ⟨cum⟩ lavacro corpus detergere puro
fol. 43r Lotaque purpureo circumdare tegmine membra
Collum gemmatis necnon ornare metallis,
Quo bene constructa posset fore miles in aula.
Caesaris imperio tunc hęc urgente superbo
225 Extimplo nigris martir producitur antris
Sistitur atque toga regali comptus in aula.

Cumque palatinis medius foret ille locatus,
Vincebat socios vultus splendore togatos,
In quem conversis omnes mirantur ocellis
230 Tum faciem iuvenis, tum dulcia verbula fantis.
Aspectu primo quoque rex suspensus in illo
Ardebat formam regalis stirpis amandam.
Tandem Pelagium nimium mandavit amandum
In solio regni secum iam forte locari,
235 Ignis ut ipsius fieret sibi sedulo iunctus,
Fronteque summisso libaverat oscula caro
Affectus causa complectens utpote colla.

Non patitur talem Christi nam miles amorem
Regis pagani luxu carnis maculati,
240 Aurem regali ludens sed contulit ori
Magno ridiculo divertens ora negata
Fatus et egregio dicebat talia rostro:
'Non decet ergo virum Christi baptismate lotum
Sobria barbarico complexu subdere colla,

221 tegmina *M.* **222** gematis *M.* **230** fantis *corr. ex* tantis *M.* **242** rostro *corr. ex* rostra *M.* **244** complexus *litterae a quodam otioso scriptore sive lectore minio illitae sunt in M.*

fol. 43ᵛ 245 Sed nec christicolam sacrato crismate tinctum
Demonis oscillum spurci captare famelli.
Ergo corde viros licito complectere stultos,
Qui tecum fatuos placantur cespite divos,
Sintque tibi socii, servi qui sunt simulacri.'

250 Sed rex econtra nulla commocior ira
Molliter ephebum dicens mulcebat amandum:
'O lascive puer, iactas te posse licenter
Spernere tam mitem nostri iuris pietatem
Audacterque diis toties illudere nostris,
255 Nec movet aetatis praesens dampnum iuvenilis
Et quod maerentes orbabis forte parentes?
Nostri blasphemos urget cultus cruciandos
Subdere mox morti ferro iugulosque forari,
Ni cedant et blasphemam respuant rationem.
260 Hortatu moneo quapropter quippe paterno,
Talibus ut verbis parcas sevę rationis
Et mecum stabilem conportes mentis amorem
Nec temptes nostrum post hęc offendere iussum,
Magno sed studio serves mea dicta sequenda;
265 Te quia corde colo necnon venerarier opto
Tanto prae cunctis aulę splendore ministris,
Alter ut in regno sis me prestante superbo.'

Hęc ait et dextra compressit martiris ora
fol. 44ʳ Astrictim leva complectens colla sacrata,
270 Quo sic oscillum saltem configeret unum.
Callida sed testis confudit ludicra regis
Osque petit subito pugno regale vibrato
Intulit et tantum pronis obtutibus ictum,

245 crismate *corr. ex* crimate *man. post. M.* **256** merentes *M.* **257** cruciendos *M.* **258** mortifero *M.* **268** ssit martiris *in ras. M.*

Sanguis ut absque mora stillans de vulnere facto
275 Barbam fedavit necnon vestes madefecit.

Tunc rex non modicam tristis conversus in iram
Iussit Pelagium, cęlestis regis alumnum,
Trans muros proici iactum funda machinali,
Crebro bellantes saxis quę perfodit hostes,
280 Nobilis ut testis fluvii collisus harenis,
Urbem qui vasta propius circumfluit unda,
Membratim creperet raptim fractusque periret.
Talia iactanti parebant forte ministri
Mox et inauditam strucxerunt denique poenam
285 Funda Pelagium iacientes martirizandum
Urbis famose trans maxima męnia longe.
Sed licet ingentes obstantes undique rupes
Artarent testis corpus praedulce cadentis,
Attamen illesus Christi permansit amicus.

290 Certe regales cicius pervenit ad aures
Martiris allisi corpus non posse secari,
Infigi scopulis ripe quod iussit acutis.
fol. 44v Hic magis offensus, penitus fuerat quia victus,
Mox caput exacto iussit succidere ferro
295 Et sentenciolam sic exercere supremam.
Denique lictores regalia iussa trementes
Mox Christi testem gladio secuere fidelem
Funus et extinctum limphis credunt retinendum.

Nam miles regis prostrata morte perennis
300 Victor stelligeri volitat per sidera celi
Caelitus angelicis deductus suaviter hymnis,
Iudicis et veri, celi super astra locati,

274 Sanguinis *M.* abque *M.* **281** uasto *M.* **284** penam *M.* **292** scopolis *M.* **293** Hic] *ita M,* Hinc *coni. Str.*

E dextra nitidam suscepit congrue palmam
Pro nece martirii laudando fine peracti.
305 Sed nec ferventis bravio fraudatur amoris,
Quo semet vinclis pro vita denique patris
Inpendit patriam linquens gentemque subactam.
Tandem nulla piis potis est depromere verbis
Lingula laureolam cęlesti luce coruscam,
310 Qua bene servata fulget pro virginitate,
Adiunctus turmis celesti sede receptis
Agno cantamen modulando perenniter. Amen.

Postquam lictores regis decreta sequentes
Funeris exuvias extincti sat generosas
315 Limpharum gremio credunt in saxaque figunt,
Ut sacri tumulo cineres essent sine digno,
fol. 45r Christus, qui proprios patitur non perdere sanctos
Preclari modicum capitis vel forte capillum,
Non tulit in limpha testem remanere fidelem,
320 Illi sed dignum provisit rite locellum,
Qui sancti tumulo servaret membra sacrata.

Nam piscatores limphas remis resecantes
Fluctivagosque greges variis laqueis capientes
Litoris extrema viderunt corpus in hora
325 Inter grandisonas agitari martiris undas.
Eminus hoc cautis cernentes nempe pupillis
Illic vela dabant cicius corpusque levabant.
Nec iam personę noscunt formam venerandae,
Illita purpureo fuerant quia sanguine membra,
330 Et caput egregium iacuit procul amne revulsum.
Sed tamen hoc sapiunt prompto quoque pectore credunt,

311 celestis *M.* receptus *M.* **315** saxaque *corr. ex* saxafi *M.* **321** serueret *M.* **328** formam *corr. ex* formę *M.* **331** credunt] cređ *M.*

Quod hic, quisquis erat, Christi pro lege cadebat,
Illic hi soli quia damnantur capitali
Poenae, qui sacra tincti baptismatis unda
335 Non metuunt crebro regis reprehendere sacra.

Cumque caput nanciscentes colloque locantes
Pelagii faciem cognoverunt rutilantem,
Rumpunt in tales miseranti pectore voces:
'Heu, iacet exanimis proprię spes unica gentis
340 Atque decus patrię tumuli sine sordet honore!
fol. 45v Nonne satis multis scimus nos vendere seclis
Semper sanctorum corpuscula passa virorum,
Quos capitis cedes monstraverat esse fideles?
Et quis laudabilis dubitet corpus fore testis,
345 Quod truncum misere capitis iacet absque decore?'

Haec ubi dicta dabant, navi pia membra locabant
Et cicius versis remigabant denique velis
Famose cunctis ad portam gentibus urbis.
Hic quoque subducta iam processere carina
350 Et clam coenobium Christo petiere sacratum
Intra non modicos urbis venerabile muros
Portantes precio vendendum denique magno
Extinctum testis funus venerabile terris.
Quod gaudens hymnis suscepit turba fidelis
355 Suavibus exequias celebrans de more sacratas
Largiter et precium nautis tribuit superauctum
Ardescens sancti mercari corpus amandi.
Quo nam mercato precii non munere pauco
Eligitur tellus membris locuples retinendis,

332 pro lege christi *M*, pro christi lege *in marg. scr. Celt.* **334** Pene *M.* **336** nancissecentes *M.* **345** abque *M.* **348** portam] *ita M, an legendum* portum? **350** caenobium *M.* **355** caelebrans *M.*

360 In qua suprema busto pompa reparato
Glebe sub cumulo conduntur fragmina sacra.
Que mox stelligere regnator maximus aule
In tumulo signis iussit fulgere coruscis,
In cęlis anima satis ut regnante beata
fol. 46r 365 Aequa gloriola regnarent mortua membra.

Denique collectus cernens ex urbe popellus
Non pauco variis obsessos tempore morbis
Mundatis illic fędis putredine membris
Salvari gratis nulla mercede salutis,
370 Nam rudem meriti sanctum titubat fore tanti,
Illius ut causa fierent miracula tanta.
Tandem coenobii princeps rectorque popelli
Optima consilii tractans medicamina sani
Sensit celsithronum devota mente precandum,
375 Quo iam dignanter solita pietate patenter
Detegeret dubio causę secreta remoto.
Quod mox persone sexus optant utriusque
Parcius atque tribus saciatę sponte diebus
Dulcibus instabant hymnis precibus quoque sacris.
380 His certe votis devota mente peractis
Mitem mollitum regem sensere polorum
Esse suis preculis studioso murmure fusis
Necnon iudicio dubię pronum fore causę.
Et cito fornacem cogunt fervere minacem
385 Ignibus appositis toto conamine structis.

Cumque focus gremio fureret fornacis in amplo,
Mox caput abscisum Christi sumpsere famelli
Talia blandiloquis palpantes verbula linguis:
fol. 46v 'Rex pie, siderę dominator nobilis aulę,

372 cęnobii *M.* **376** remota *M.* **387** fameli *M.*

390 Omnia iudicio qui scis discernere iusto,
Istius meritum sancti fac igne probari
Et, si sit tantę fultus bonitatis honore,
Eius ut ex meritis fierent haec dona salutis,
Frontis pelliculam facito non tangere flammam,
395 Verticis illesos omnes quoque redde capillos;
Sin vero meriti constet fortasse minoris,
Manda pro signo saltim ledi cute summa
Iuxta naturam fragilis carnis perituram.'
Talia dicentes clarum caput igne probandum
400 Credunt flammivomis alte surgentibus undis;
Et tandem plene spacium post unius horę
Hoc ipsum rapidis extollunt denique flammis
Lustrantes oculis, damnum ferretne caloris:
Quod iam splendidius puro radiaverat auro
405 Expers ardoris penitus tantique caloris.

Hinc sursum versis laudavit turba fidelis
Vultibus altithronum modulanti carmine Christum,
Qui tocies tantis fecit splendescere signis
Fragmina constantis pro sese mortua testis;
410 Hęc et mausoleo digne condens venerando
Digno percerte supplex veneratur honore
Finetenus meriti vulgo bene credula noti
fol. 47r Caelitus atque dati semper gavisa patroni.

---

390 discerere *M.* **400** flammiuomi saltē *M.* **406** *Sine init. litt. M.* **410** maii soleo *M.* **412** meriti *corr. ex* merito *M.*

LAPSUS ET CONVERSIO THEOPHILI VICEDOMNI

POSTQUAM LUX FIDEI CRESCENS PER CLIMATA MUNDI
Siciliam tenebris errorum solvit ab atris,
Vir satis illustris nutritur partibus illis
Nobilitate potens, meriti splendore refulgens;
5 Hicce Theophilus fuerat de nomine dictus,
Puri sacrata tinctus baptismatis unda.
Quem devota patrum divinis cura suorum
Obsequiis igitur primis signavit ab annis
Atque sui dulcem pie sollicitando nepotem
10 Cuidam pontifici credidit nimium sapienti,
Quo nutriret eum studio florente docendum,
Ipsius ingenuum mentisque rigaret agellum
De sophię rivis septeno fonte manantis.

Cumque pio satis exausti puero foret ipsi,
15 Digno confestim provectus honore gradatim
Perveniebat ad officium sibimet satis aptum,
Quod lingua vulgi scimus 'vicedom' vocitari.
Hac igitur tanti pompa splendoris adepta
Pontifici se subiectum cleroque modestum
20 Prebuit atque pium populo cunctisque benignum
Commisso⟨que⟩ gregi studio preerat vigilanti,
fol. 47v Maxime sed Christi minimis miserisque pupillis
Ac castis viduis necnon cunctis peregrinis
Vestes et victum dextra tribuit bene larga
25 Hospiciumque vagis numquam claudebat egenis.

tit. *minusculis scr. M.* uice dñi *M.* 1 *Post init. litt.* P *minusculis pergit M.* Postquam] quam *supr. lin. M.* 8 signauit *corr. ex* significauit *M.* 17 uice đo *M.*

Hinc igitur concors omnis devotio plebis
Affectu tenero cordis pendebat in illo:
Ipsum ceu dulcem venerantur amando parentem.

Interea vir summorum praesul meritorum
30 Caelitus acceptum direxit ad aethera flatum.
Quo nam defuncto gremio terreque locato
Consensus plebis clamat concorditer omnis
Respondens cleri votis eadem cupientis
Hunc fore praecipuis aptum meritis vicedomnum,
35 Ut culmen sedis captaret pontificalis
Summi pontificis curamque teneret ovilis.
Hoc quoque persuadere suo metropolitano
Pontifici scriptis festinabant cito missis,
Cuius iudicio statui pastor sapienti
40 Debuit aecclesię tali condignus honore.

Qui bonitate viri comperta namque benigni
Se completurum promisit velle precantum
Et venisse virum iussit maturius ipsum,
Affectu populi tanto quem sensit amari.
45 Ille sed execrans talem constanter honorem
fol. 48ʳ Presulis imperio parere negat veniendo,
Donec invitus trahitur, turbis glomeratur
Et, cum pontificis presentaretur ocellis,
Stratus adusque solum voces spargebat in altum
50 Infectum viciis sese dicens fore multis
Non aptum sancto Christi populo dominari.

His igitur querulis iterata voce profusis
Antistes summus cessit postremo coactus
Huncque, decus talis qui fastidivit honoris,

26 consors *M.* **30** aethra *M.* **32** clamabat *M.* **37** metra politano *M.* **38** Pontificis *M.* **44** Affectum *M.*

55 Iniuncte vacuum cure concessit abire
Constituens alium rectoris nomine dignum.
Qui nam paucorum post intervalla dierum
Quorundam blandis clam seductus suadelis
Subiectis alium cito preposuit vicedomnum
60 Atque Theophilum summis meritis venerandum
Movit ab officio, multos quo fungitur annos.
Istec sed fragilis tolerans patienter honoris
Damnum tristiciam pellit de pectore cunctam
Gaudebatque satis sese iam posse vacare
65 Tanto liberius studio Christi famulatus,
Quanto curarum securus erat variarum.

Cuius mox mentem detestatur pacientem
Tocius humani generis sevissimus hostis
Et, qua primates decepit fraude parentes,
fol. 48v 70 Hac huiusce viri pulsat penetralia iusti
Adducens eius fragili sepissime menti
Blanda potestatis delectamenta prioris
Despectusque gravem facti nuperrime sortem.
Nec laqueos harum retraxerat insidiarum,
75 Donec captivum Christi duxit sibi servum;
Nec mora, vir fortis, vita meritisque celebris,
Mentis virtutem demens abiecerat omnem
Nec temptamentis studuit restare nefandis,
Sed victus cessit mentisque dolore tabescit;
80 Quique prius plebi sprevit princeps dominari,
Affectat iuris pompas nunc inferioris.
Tandem seductus caecato corde misellus
Quendam perversum petiit festinus Hebreum,
Qui magica plures decepit fraude fideles,

59 uice donum *M.* **64** uocare *M.* **72** potestis *M.*

85 Prolambensque suas prostrato corpore plantas
Ipsius auxilium flagitat lacrimando nefandum.
Qui super errantis lapsus gaudendo malignus
Nocte procul dubio iussit venisse futura
Promittens promptam despectus esse medelam,
90 Si parendo suis vellet tantum suadelis
Sub ditione sui post hęc habitare magistri.

His hic infelix monitis captus male blandis
Demonis obsequio sevi gestit religari,
fol. 49r Quo sic umbratilis munus meruisset honoris.
95 Quem non signatum signo sanctę crucis almo,
Sed mage demonicis confidentem suadelis
Ocius ille magus secum duxit maledictus
Trans urbem sub nocturnis secreto tenebris
Intulit inque locum multo fantasmate plenum,
100 In quo tartarei steterant in veste coloni
Alba candelas plures manibus retinentes.
Inter quos medius princeps residebat iniquus,
Qui rex est mortis, proles quoque perditionis
Suadens damnandis astuta fraude ministris
105 Inpigre cunctis praetendere calliditatis
Assuete laqueos omnes captare paratos.

At magus errantem damnumque sui cupientem
Mox ad concilium perducebat scelerosum
Prostratusque sui plantis extimplo magistri
110 Monstravit verbo causam, qua venerat illo.
Cui demon sevus contra sic denique fatus:
'Dic', ait, 'auxilii possim quid ferre fideli
Ablutoque viro Christi baptismatis unda?

98 noturnis *M.* **99** plenum] plenl *(?) cum compendio M.* **102** residebam *M.* **105** callidatis *M.*

Si meus esse cupit scriptis Christumque negabit
115 Illiusque puellarem pariter genitricem,
Per cuius partum patior nimium grave damnum,
Illum continuo virtute mea relevabo
fol. 49v Atque decus talis prestabo patenter honoris,
Presul ut ipse suis non contradicere iussis
120 Apponat cernens omnes illi famulantes,
Qui nunc despectum spernunt, venerarier ipsum.'

His nam blandiciis anguinae calliditatis
Iste miser verbo non contradixerat ullo,
Sed fieri gestit, que perversus draco suasit,
125 Proditor atque ⟨sui⟩ totum se perditioni
Sponte dedit proprii cartam scribens detrimenti,
In qua spirituum testatur velle nigrorum
Esse sub ęternis socius per secula poenis.
Hoc ubi perfecit, passim fantasma recessit,
130 Ipseque cum pravo gaudendo redibat amico.

Facta namque die praesul praecepit adesse
Cleri primates plebis pariterque priores
Atque Theofilum cunctis astantibus illis
Adductum verbis nimium blanditur amicis
135 Ipsius subdens hilari vultu ditioni

. . . .

. . . .

Deflevitque piis sese peccasse lamentis,
Abiecisse virum praesumebat quia sanctum.
Ast hic e subitis tanti lętatus honoris
Donis plus ęquo tollit se mente superba

118 patenter] *ita M, an legendum* potenter*?* **122** aguuine *corr. in* anguine (?) *Celt. in M.* **128** sociis *M.* *Post v. 135 nonnulli versus intercidisse videntur.*

140 Iactanter subiectorum cuneos populorum
Ipsius obsequiis cogens succumbere duris
fol. 50r Et spreto penitus patrię celestis honore
Terrestris tantum pompe versatur amore.
Cumque diu vacuis inhiaret namque lucellis
145 Atque monente mago numquam cessaret iniquo
Sevo multiplices Satane persolvere grates,
Ex cuius largis credidit solummodo donis
Accessisse quidem tantam sibi prosperitatem,
Tandem caelestis pietas inmensa parentis,
150 Qui numquam cupit interitum mortemque reorum,
Sed mage conversis lętam concedere vitam,
Condoluit facti meritum periisse benigni,
Quo quondam stabili fulsit celeberrimus orbi
Istec sollicitans omnes clementer egentes;
155 Moreque divino pietas eadem veneranda
Concutit errantem digna formidine mentem.

Nec mora compunctus summo merore misellus
Pręponit pavitans oculis sepissime cordis,
Quanta negando deum meruit tormenta per aevum
160 Et quibus in poenis iungi debebat Averni.
Hęc quoque tractando secum merore supremo
Talia continuis fertur dixisse lamentis:
'Heu mihimet misero cunctis probris viciato!
Ve mihi damnando proprii pro crimine voti,
165 Qui patris summi prolem per scripta negavi
fol. 50v Divineque simul dulcem prolis genitricem!
Eheu, quam sevis tradar per saecula poenis
Et quam continuis claudar sine ⟨fine⟩ tenebris,
Qui miser elegi subdi Satane ditioni

145 cessat *M.* **152** perisse *M.* **160** pęnis *M.* **168** fine *suppl. Celt. in marg. M.*

170 Atque tenebricolis Erebi sub limine iungi
Mundane pompę vano seductus amore!
Quid dicturus ero nimium peccator in illo
Tempore iudicii sanctis ipsis metuendi,
Quando factorum mercedem quisque suorum
175 Accipiet dignam satis aequa lance libratam
Pro diversorum qualitate quidem meritorum?
Vel quis forte mei tunc apponet misereri,
Cum vix pro meritis iustus salvatur opimis?
Nam Christi genitrix celique potens dominatrix
180 Flaminis atque sacri templum sine sorde coruscum,
Hęc eadem virgo partus post gaudia casta,
Que retro conversis fuerat mitissima cunctis
Atque sui dulcem numquam tardat pietatem,
Sola mihi venię potis est medicamina ferre,
185 Si pro me proprium dignatur poscere natum.
Sed, si pollutis illam rogitare labellis
Coepero, bachanti nuper quam corde negavi,
Me vereor flammis cęlo consumier actis,
Ferre meum facinus quia non patitur grave mundus.
fol. 51r 190 Attamen instantis causa cogente doloris
Eiusdem celerem supplex quero pietatem,
Quo clemens animam precibus solvat perituram.'
Hęc secum querulis nimium dicebat amaris
Et saecli curis cicius de corde repulsis
195 Inpiger ad templum properat sub honore dicatum
Virginis intacte matrisque dei venerandę
Octies et spacium transegit quinque dierum
Illic contrito deflens sua corde piacla
Denegat atque sibi lacrimis saciatus amaris

172 ducturus *M.* **188** flamis *M.* **190** causa *corr. ex* cauta *M.*
191 suplex *M.* **194** saecli] sedi *M.*

200 Omnia cultorum delectamenta ciborum
Scilicet et requiem somni sepissime dulcem
Pervigil in sacris summo conamine votis.
Tali percerte corpus frangendo labore
Purgavit lacrimis anime maculas viciate.

205 **H**is bene perfectis nimium cum lassus in horis
Nocturnis molli dederat sua membra quieti,
Astitit in somnis illi castissima regis
Aeterni genitrix, eadem mundi dominatrix,
Scilicet auxilium, spes solamenque paratum
210 Eius praesidium devota mente precantum
Talibus et verbis terrebat corda paventis:

'**O** vir, cur nostri vigilas ad limina templi
Vel cur posse mei celerem temet pietatem
fol. 51v Presumis sperare, meum qui denique natum
215 Me matremque sui perverso corde negasti?
Dic, rogo, quis oculis possim mis cernere prolis
Divinę vultum celesti luce coruscum
Quove modo solio presens astare tremendo
Eius praesumo tibimet veniam rogitando?
220 Ast omnes culpas in me fortasse patratas
Affectu mentis tibi mox indulgeo gratis,
Omne genus nimium quia diligo christicolarum.
Illos praecipue tenero sed mentis amore
Diligo, consolor, propriis amplector et ulnis,
225 Quos exorantes crebris himnisque vacantes
Invigilare meo cerno sepissime templo.
Materni sed vis fortis me cogit amoris
Hinc magis erga te nimio fervescere zelo,
Quod praesumpsisti tradendus perditioni
230 Blasphemando mei sanctum contempnere natum,
Qui deus aeternus de patre deo generatus
Retro principii primordia cana sereni

Ex me dignatus sumpsit sub tempore corpus,
Quod dedit humane morti nationis amore.'

235 Talia dicenti caste Christi genitrici
Vir maerens animo contra sic fatur amaro:
'O mea domna, scio nimiumque tabesco sciendo,
fol. 52r Plus iusto quia deliqui spe captus inani,
Commisi cunctis facinus viciis quoque peius
240 Despiciendo deum de te sine sorde profusum.
Hinc non sum dignus venię conquirere munus,
Sed tamen exemplum nobis tribuere salutis
Sperande multi, vario qui crimine lapsi
Post lapsum scelerum veniam meruere suorum.
245 Nonne Ninivitę mitem Christi pietatem
Sese condignis cruciantes namque lamentis
Invenere trium post intervalla dierum?
Nonne David, propheta dei, princeps quoque regni
Iudaici, plebem domini qui rexit herilem,
250 Illicito nuptę subito praeventus amore
Non timet insidiis circumveniendo dolosis
Insontem vita fraudare virum sine causa,
Complexus carę licito quo posset habere?
Sed postquam vatis perterritus advenientis
255 Admonitu culpas didicit deflere gemellas,
Delevit lacrimis tante maculas cito sordis,
Suscepit rursum prophecię quoque donum.
Quid referam Petrum Christo testante beatum?
Qui, postquam ius solvendi pariterque ligandi
260 Necnon stelligerę claves acceperat aulę
Pro fidei rectę satis expressa ratione,
fol. 52v Detestando deum sese cognoscere Christum
Rennuit ancillę vocem metuendo nefande?

236 merens *M.* **256** sordis] cordis *M.*

Nec semel aut binis vicibus sed denique ternis
265 Ceu numquam visum carum negat ergo magistrum,
Sed, quia condigne lapsum deflevit ab ore
Peccatum, venię meruit medicamen opime
Scilicet atque gregi iussus praeesse fideli
Princeps, aecclesię pastor fit iure sacrate.
270 Talibus ac tantis, aliis multisque figuris
Admonitus similem me sperabam pietatem
A Christo cicius per te conquirere posse.'

Cui vultu blando dicebat sancta Maria
Tristem melliflue refovens dulcedine lingue:
275 'Si te commissum turbat facinusque nefandum,
Condecet, ut cordis consensu confitearis
Hoc, quod mendaci demens sermone negasti,
Ipsum, quem peperi, patris natum fore summi,
Qui iudex orbem veniet renovare per ignem;
280 Et post haec tandem pro te praesumo rogare.'
Ille quidem rursus lacrimans infit vicedomnus:
'O dilecta dei, ⟨genitrix⟩ sanctissima Christi,
Quę miti refoves cunctos pietate fideles,
Quo pacto, quo iure quidem contingere tandem
285 Altithroni nomen sanctum venerabile magnum
fol. 53r Infelix ego pollutis praesumo labellis,
Qui Christum, baptisma, crucem, Christi quoque matrem
Te castam scriptis blasphemavi male pictis
Cunctaque caelestis pia sacramenta salutis?'

290 His miserens querulis inventrix virginitatis
Aiebat blandis iterum clementius orsis:
'Quamvis sis gravibus viciis nimium maculatus,

276 Condecet *corr. ex* Concedet *M.* **281** Ille] ille *corr. ex* ile *man. post. M, litt.* I *pinxit man. saec. XV in marg. M.*

Attamen, ut monui, dominum non sperne fateri,
Est quia factus homo nostri solummodo causa,
295 Ut spem conversis venię praeberet habende.'

Tunc istec demum monitis parendo iubentis
Cum lacrimis tales spargebat ad aethera voces:
'Nunc supplex veneror, laudo, complector, adoro
Ex patre caelesti Christum sine tempore natum
300 Temporibus nostris missum de sede parentis,
Ut de te casta necnon de flamine sancto
Indueret fragilis nostrae velamina carnis;
Huncque deum verum necnon hominem fore plenum
Non dubito, nostri causa qui pertulit ergo
305 Obprobriis tangi, colaphis, alapis quoque cedi,
Sacraque pulsari crebris sua terga flagellis,
Atque sputis rutili speciem vultus maculari;
Cumque coronatus spinis et felle potatus,
Quę sacra praedixit scriptura, per omne replevit,
fol. 53v 310 Postremo sacris expansis in cruce palmis
Ceu pastor verus bonitatis honore decorus
Pro nobis animam moriens ponebat amandam
Adque sepulchralem dignans suscepit honorem;
Hinc inferna petens Erebi quoque claustra resolvens
315 Mortem destruxit mortis patremque ligavit
Tartareoque suos traxit de carcere iustos
Ac sic non parva victor comitante caterva
Ad superos rediit proprium corpusque resumpsit,
Quod fuit in busto clausum sub marmore magno;
320 Tercia quem vivum vidit lux omne per aevum,

294 Et *M.* **302** fragilis *corr. ex* fragis *Celt. in M.* **304** dubito *corr. ex* dubitori *M.* **309** omne *corr. ex* omnem *M.* **316** Tartareoque *corr. ex* Tartaroque *Celt. in M.* **318** resumit *M.*

Discipulique sui crebro videre beati
Ipsum nunc convescentem, nunc ergo loquentem
Illis de regno dulci sermone futuro;
Post haec attonitis oculis cernentibus ipsis
325 Ipsam, quam sumpsit, carnem super astra libravit,
In qua iudicium veniet celebrare futurum
Proque suis meritis reddet bona vel mala cunctis.
Haec ita credentem cordisque fide retinentem
Atque tui deposcentem solitam pietatem
330 Commenda me, virgo, tuo, sanctissima, nato
Impetraque tuo veniam famulo sceleroso.'

Haec ubi continuis deflevit verba querelis,
Sancta dei genitrix eademque potens dominatrix
fol. 54r Caelorum verbis respondens inquid amicis:
335 'Propter mysterium sacri baptismatis almum,
345 Quod suscepisti credentis more popelli,
336 Et propter dulcem carę mis prolis amorem,
Cuius te precio sacri scio sanguinis amplo
Emptum, pro mundo qui fusus erat perituro,
Procedens sacris advolvor sedula plantis
340 Eius, quem genui, cunctorum iudicis aequi
Nec parcam preculis studio certante profusis,
Donec ipsius mitem cogo pietatem,
Ut tibi parcendo dimittat tanta piacla.'
344 His dictis subito discessit virgo sacrata
346 Linquens promissi misero solamina sani.

Certe post triduum rursus veniebat ad illum
In visu venię munus reserans reparate

321 bæati *M.* **326** cęlebrare *M.* **327** cuntis *M.* **330** sanctissima *corr. ex* sanctissimo *M.* **336** mi *M.* **341** parcam *corr. ex* pascam *M.* **344** discessit *corr. ex* dissessit *M.* **346** promisi *M.* **347** veniebant *M.* **348** referæns *M.*

Et vultu laeto deprompsit talia verba:
350 'En tis, vir domini, tristis conpunctio cordis
Est accepta deo patri prolique perenni,
Atque tuae lacrimę scelerum veniam meruere,
Sed nec tartareis poenis umquam capieris,
Si post haec perstare cupis sine fraude fidelis.'
355 Ipse quidem contra mox dicebat prece blanda:
'Certe servabo sacrę fidei documenta
Nec post haec ultra male transgredior neglegendo
fol. 54ᵛ Quicquam de vestris, mea domna piissima, iussis,
Te quia post dominum solam conferre medelam
360 Spero, quo poenis pabulum non tradar amaris.
Sed non est mirum per te me iam fore salvum,
Per quam de veteris loetali crimine matris
Omnem dante deo mundum patet esse solutum;
Et quis te poscens spe non dubiaque requirens
365 Desertus fuerat vel confusus remeabat?
Hinc ego criminibus sat supremis viciatus
Suppliciter fontem devota mente perennem,
Alma dei genitrix, exoro tuę pietatis,
Ut facias carte literas extimplo nefande,
370 Quis me subiunxi vastatoris ditioni,
Eius de manibus miserum me sumere rursum,
Hinc animam formido meam quia forte misellam
Tempore iudicii multo discrimine lędi,
Si nunc praedoni non est abstracta feroci.'

349 depropmsit *M.* **351** patrique *M.* peraenni *M.* **353** capieris *corr. ex* caperis *Celt. in M.* **355** dicebat *corr. ex* dicebant *M.* **360** penis *M.* tradar amaris] tardara manis *mut. in* tartara mauis *Celt. in M.* **362** laetari *M.* derminæ *M.* **366** ego *corr. ex* ergo *M.* uiciatus *corr. ex* uiciatibus *M.* **367** peraennem *M.* **368** exore *M.* **370** uastatoris *corr. ex* uastoris *Celt. in M.*

375 His dictis oculis iterum vigilabat apertis
Et se prosternens precibus crebro quoque deflens
Ieiunando trium cursus agit ergo dierum.
Post haec e somno cum surrexit mane summo,
Invenit positam supra sua pectora cartam.
380 Qua visa membris mox contremuit resolutis
Et grates Christo cordis reddebat ab imo
fol. 55r Atque puellari pariter Christi genitrici.

Post haec namque die sacra feliciter orta,
Que trahit a domino nomen venerabile summo,
385 Intrat in ęcclesiam populis ex more repletam,
In qua tunc inter sacrę sollempnia missę
Astantes evangelicis praesul docet orsis,
Et coram cunctis sacram prostratus ad aram
Eiusdem quoque pontificis dans oscula plantis
390 Voce palam clara narravit ab ordine cuncta,
Quę vel mortiferis egit victus suadelis
Vel quę perpetua meruit poscente puella.
Haec ubi composita plene retulit ratione,
Antistes facti tactus terrore stupendi
395 Intonat his verbis mirantis voce profusis:

'Cuncti gaudentes huc iam properate fideles
Et pia facta dei laudantes mente fideli
Credite iam dominum propria pietate benignum
In loeto delectari numquam scelerosi,
400 Sed plus conversis vitam dare velle futuram.
Eia, dilecti fratres, intendite cuncti,
Quam pie peccantes dominus tolerat bonus omnes,
Quos scit converti post tristia facta piacli.

375 uigilabat *corr. ex* uigilabant *M.* **387** euuangelicis *M.* **403** tristicia *M.*

Quis non miretur, quis non supplex veneretur
405 Laudandam mitem dulcem Christi pietatem,
fol. 55v Illum querentes semper qua sublevat omnes?
Qui iam criminibus miserans parcebat et huius
Ipsius illustris precibus sancteque parentis,
Per quam naturę periit maledictio nostrę
410 Et per quam mundo venit benedictio cuncto.
Hinc memor esto, dei genitrix sanctissima, nostri,
Qui te mente, fide, voto laudamus et ore,
Quo pius ipse gregem pastor servare fidelem
Dignetur veteris depulsa fraude draconis.
415 At nos exiles nulla virtute potentes
Te semper, regis mater non tacta perennis,
Ac de te genitum regem dominumque polorum
Efferimus crebris conclamantes simul odis,
Peccato noster moriens periit quia frater,
420 Sed, postquam periit, per te, sacra virgo, revixit.'

His dictis cartam comburebat maledictam
Et mox misterium misse peragit studiose.
Hoc ubi complevit, miro splendore refulsit
Instar surgentis Phębi facies vicedomni,
425 Quo mentis splendor lucens anime quoque candor
Eius per faciem monstraretur rutilantem.
Hinc astans populus nimia formidine tactus
Altithrono grates coepit resonare tonantes,
Cui placuit monstrare viri meritum venerandi.
fol. 56r 430 Ipse quidem sacrum repetens extimplo locellum,
In quo caelestis donum meruit pietatis,
Frangitur adversa fragilis valitudine carnis

404 non[1]] nos *M.* ueneratur *M.* **405** mitem] militem *mut. in* miltem *M,* multam *suprascr. Celt.* **416** peraennis *M.* **428** cępit *M.* **432** Frangitur] Frangi ui *M.*

Per spaciumque trium morbo crescente dierum
Exemptus corruptibilis de carcere carnis
435 Spiritus aethereum plaudens ascendit ad aulam
Auxilio sanctę fultus domneque Mariae.
Scilicet extinctum corpus nisu populorum
Ipso rite loco tumulatur honore supremo,
In quo nactus erat veniam, quam flendo rogabat.

440 Talis erat desperati necnon scelerosi
Finis, qui proprium didicit deflere reatum
Et se condignis studuit punire lamentis.
Hinc laus et virtus Christo per secula cuncta,
Humani veterem generis qui straverat hostem
445 Plasma suę dextre rapiens serpentis ab ore,
Ipsius et dulci constet laus alma parenti,
Quę pie solamen misero iam contulit. Amen.

〈APPENDIX: BENEDICTIO AD MENSAM〉

Unicus altithroni genitus retro tempora mundi,
Qui miserans hominis descendit ab arce parentis
Et carnis veram sumpsit de virgine formam,
Virginis ut gustum prime deleret amarum,
5 (452) Consecret appositę nobis pie fercula mense
Has faciendo dapes gustantibus esse salubres.
fol. 56v Quod sumus et quod gustamus vel quicquid agamus,
Dextera factoris benedicat cuncta regentis.

---

437 nisus *M.* **440** despirati *M.* **446** laus] laux *mut. in* lux *M.* **1 (448)** *Sine init. litt. M.* **4 (451)** Virgis *M.* lederet *M.* **5 (452)** apositę *M.* pie *mut. in* pia *M.* **8 (455)** Dexteras auctoris *M.*

⟨PARS POSTERIOR⟩

⟨PROLOGUS [II] AD GERBERGAM ABBATISSAM⟩

En tibi versiculos, Gerberg, fero, domna, novellos
Iungens praescriptis carmina carminulis,
Qualiter et veniam meruit scelerosus amandam
Congaudens modulis succino dactilicis;
5 Spernere quos noli, nimium cum sint vitiosi,
Sed lauda miti pectore facta dei!

Qui velit exemplum veniae comprendere certum
Necnon larga dei pietatis munera magni,
Pectore versiculos submisso perlegat istos
10 Nec fragilem vilis sexum spernat mulieris,
Quę fragili modulos calamo cantaverat istos,
Sed mage cęlestem Christi laudet pietatem,
Qui non vult digna peccantes perdere poena,
Sed plus perpetuę conversos reddere vitę:
15 Gaudens gaudebit; quod verum stare probabit,
Quisquis praesentem perscrutatur rationem.

---

1 En] *Init. litt. deest M,* e *suppl. Celt.* 7 Qui] *Init. litt. deest M,* q *suppl. Celt.* uelut *M.* veniae] ueni *corr. in* uenie *Celt. in M.* **11** calamo *corr. ex* calomo *M.* 13 pęna *M.*

⟨LAPSUS ET CONVERSIO CUIUSDAM SERVI⟩

TEMPORE, BASILIUS QUO VIR VIRTUTIBUS ALMUS
Rexerat ecclesiam iusto moderamine sanctam,
fol. 57ʳ Sedem rectoris sortitus Cesariensis,
20 Vir satis illustris degebat partibus illis
Nomine Proterius cunctae plebi venerandus,
Nobilitate potens opibus rerum quoque pollens.
Unica feminei sexus proles fuit illi
(Nec alius substantiole mansit sibi magne
25 Heres), quam certe tenero dilexit amore;
Affectuque pio necnon pietate paterna
Optans plus animam nate numquam morituram
Ornari gemmis perfectę virginitatis,
Quam corpus pompa mundi mortale caduca,
30 Curavit sacris ipsam sociare puellis,
Quę consignate Christo velamine sacro
Cęnobii claustris pariter servantur in artis.

Auctor sed scelerum, qui decepit protoplastum,
Detestando viri votum laudabile iusti
35 Ipsius proprium fecit fervescere servum
In supra dicte dementer amore puelle.
Qui nimis infelix spiculis perfossus amoris,
Quo magis ardescit, tanto plus corde tabescit,
Indignum se coniugio meminit quia tanto
40 Nec audet nudare novum cordis cruciatum.

tit. Conuersio cuiusdam Iuuenis desperati per sanctum Basilium episcopum *man. saec. XV (an Laurentii Aicher, prioris et bibliothecarii S. Emmerami [† 1507]? Ita suspicatur B. Bischoff in scheda ms.);* Conuersio *mut. in* Conuersione *Celt. Hunc titulum postea del. et* Incipit historia *add. idem in marg. M.* **17** *Post init. litt.* T *minusculis pergit M.* **21** cuntę *M.* **33** Auctor] Ductor *(init. litt.), mut. in* Doctor *Celt. in M.* **36** clementer *M.*

Tandem namque magum querens invenerat unum,
Secretum cui tristitiae monstravit amarę
fol. 57v Promittens illi non parvi dona lucelli,
Si teneram prolis mentem proprii senioris
45 Eius servili iam conglutinasset amori.
Cui mox perversus fraudis dicebat amicus:
'Nam fateor tante non me valitudinis esse,
Ut servo proprię iungam consortia domne;
Sed, si rite meo satagis parere magistro,
50 Qui princeps aeternarum constat tenebrarum,
Ipse potest certe complere tuum cito velle,
Si post haec Christi nomen non vis venerari.'

Cui male cecatus bachanti corde misellus
Se consensurum monitis promiserat istis.
55 Tunc magus ista suo mandat scribendo magistro:
'Princeps inferni, regnator magne profundi,
Condecet ergo tuos semper temptare ministros,
Si possint aliquos fontis baptismate lotos
Assignare tibi subtractos de grege Christi,
60 Ut, que te sequitur, semper pars multiplicetur.
63 Hinc tibi namque virum misi gaudens satis istum,
64 Eius propositum quo mox complendo secretum
61 Ipsum discipulum facias tibi rite futurum.'
62 Hanc ita perscriptam misero dederat quoque cartam

. . . .

42 tristitiae] iusticię *M,* mesticie *in marg. scr. Celt.* **44** teneram *corr. ex* teram *Celt. in M.* **51** uelle cito *sign. invert. Celt. in M.* **57** Concede *mut. ex* Concedet *M.* **60–90** *Locus corruptus transpositione versuum non ad integrum restituitur, cum nonnulla intercidisse videantur; M, fol. 58r (v. 67–90) inde a v. 67 in rasura scriptum est, primus (67) et ultimus (90) versus paginae signis + coniunguntur.*

65 Supra gentilis tumulum sub tempore noctis

. . . .

66 Quod mox praeceptum ⟨miser⟩ amplectens male suasum
fol. 58r 68 Gaudens tendebat, quo se magus ire iubebat
69 Auxilium veteris supplex orando draconis,
70 Interitum praebere suis qui temptat amicis.
Nec mora, tartarei cursim venere ministri
Errantemque satis lęti duxere maligni
Mox ad concilium crudele tenebricolarum.
Illic inventor sceleris cunctę quoque fraudis,
75 Dampnandus dampnandarum princeps legionum,
Consedit medius corvino milite septus
Tendens incautis laqueos clam calliditatis,
Necnon insidias evolvens ante repertas
Inquirit, scelerum faceret quid quisque suorum.

80 Scilicet ut literas perscrutatur sibi missas
Utitur his verbis frendens velut ira leonis
Perterrendo virum seva ratione misellum:
'Numquam christicole permansistis mihi fidi,
Sed, mox ut vestrum complevi velle iocundum,
85 Protinus ad vestrum fugistis denique Christum
Me detestando penitus post munera tanta
Credentes talis certe Christum pietatis,
Ut veniam nulli vellet tardare petenti
Reddere conversum mihimet nec post scelus ullum.
90 Quapropter domini natae complexibus uti
67 Si cupias licito, Christum prius ore negato
fol. 58v 91 Christicolisque datum Christi baptisma sacratum,

66 miser] sum *(?) supr. lin. scr. et del. Celt.*; mente *infra lin. suppl. idem in M.* **73** crudele] cludere *M.* **86** Me detestando] Me destendo *mut. in* Me desistendo *Celt. in M.* **90** nate *corr. ex* te *M.* **91** baptisma *corr. ex* baptismi *(?) M.*

Scilicet et mecum te velle fatere per ęvum
Poenis inferni permansuris cruciari;
Hincque tuis manibus scriptam mihi porrige cartam:
95 Ostendamque citus, quantum possit mea virtus.'

His mox infelix servus monitis male captus
Scribebat proprium ridenti pectore damnum
Interitusque sui causam tetro dedit hosti.
Qui mox dampnando nimium gaudens super illo
100 Lęto tartareos emisit corde ministros,
Virginis ut misere mentem facerent in amore
Incesto proprii cicius fervescere servi.

Ut mens blandiciis fragilis pulsatur amoris,
Exclamat subito magna de stirpe creata
105 Optans praestari sibimet consortia servi
Atque patri proprio profudit talia verba:
'Iam miserere tuę, genitor dulcissime, natę
Et cicius meme iuveni, quem diligo, trade,
Ne moriar tristis languens per tedia cordis.'

110 His pater auditis lacrimis dicebat amaris:
'Heu, heu, quid pateris vetuli spes unica patris?
Dic, rogo, quis verbis te decepit male blandis,
Vel quis blandiciis circumvenit simulatis?
Nonne tibi patriam reddi cupiendo supernam
fol. 59r 115 Sponso caelesti Christo te denique vovi,
Hunc casta solum coleres quo mente per ęvum
Illius et laudes cum caelicolis resonares
Addita virgineis mortis post vincula turmis:
Et tu lascivi fervescis amore famelli!

93 Pęnis *M.* **95** Ostendamque] que *eras. M.* citius *M.* **103** Et *(init. litt.) M.* **110** amaris] amantis *mut. ex* amans *man. post. M,* amaris *in marg. scr. Celt.* **111** ueluti *M.*

120 At nunc submissa, soboles mea, voce rogabo,
Finem stulticię pergas ut reddere tante,
Ne genus omne tuum male confundas generosum.
Si tamen in coepto temptas durare maligno,
Turpiter absque mora peries, dulcissima proles.'

125 Que nam consilium penitus spernendo paternum
Vultu mordaci proprio dixit genitori:
'Si complere meum tardabis denique votum,
Comperies caram cicius prolem morituram.'
Tunc senior, non sponte, minis devictus amaris
130 Tradiderat sobolis servo consortia dulcis
Condonans substantiolam pariter preciosam
Ipsis; hinc animo natę dicebat amaro:
'Infelix non felicis tu nata parentis,
Dedecus atque dolor matris temet parientis
135 Tocius et nostri generis confusio turpis,
Congaude iam nunc servo misere tibi caro
Et post aeternis poenis maerens capieris.'

Tali coniugio Satane cum fraude peracto
fol. 59ᵛ Condoluit Christus mundi salvator amandus,
140 Quos pius effusa salvavit sanguinis unda,
Hostis sub diri vinclis captos retineri;
Et placet auxilium lapsis praestare benignum.
Scilicet erranti mox narratur mulieri,
Quod non catholicus fuerit coniux miser eius
145 Nec limen templi vellet pede tangere sancti,
Se quia serpentis iuri tradebat avari
Sacra negans rectae fidei nomen quoque Christi.

123 incepto *M.* **125** pęnitus *M.* **128** claram *M.* **134** Tu decus *M.* dolor *corr. ex* doror *M.* **136** misere *corr. ex* miserere *M.* **137** Et] *ita M,* At *coni. Str.* pænis *M.* **141** diri *corr. ex* duri *M.* **147** rectae] secte *M.*

Que se deceptam cognoscens esse misellam
Auribus intentis ut sensit verba loquentis,
150 In terram cecidit membris tremefacta solutis
Eruit et proprios summo de vertice pilos
Necnon verberibus pulsavit sedulo pectus
Cum lacrimis tales spargens super aethera voces:
'Quisquis praedulces non vult audire parentes,
155 Numquam salvatur, quod hac ratione probatur.
Heu, heu, splendorem diei cur nata recepi?
Vel cur continuo non sum concessa sepulchro,
Infelix foveam caderem ne mortis in atram?'

Haec dum tristicia dicebat continuata,
160 Coniunx illius subito venit scelerosus
Et de se falsas iuravit res fore dictas.
Que mox constanti respondit voce neganti:
fol. 60r 'Si reus ingentis culpe iam denique non sis,
Laetus ad aecclesiam mecum cras pergito sanctam
165 Illic et sanctę celebra sollempnia misse!'
Qua mox devictus iusta ratione misellus
Causam commissi narravit namque piacli.
Illaque molliciem iam deponens muliebrem
Et sumens vires prudenti corde viriles
170 Mox ad Basilium currebat namque beatum
Necnon vestigiis coram prostrata sacratis
Utitur his verbis turbato pectore fusis:

'Sancte dei, clemens nobis succurre misellis
Et trahe de tetris sevi nos faucibus hostis,
175 Qui nostras fragiles iactat se perdere mentes!'
Cumque modum culpe denudavit sibi tante,
Vertitur ad servum praesul domini scelerosum

156 nata *corr. ex* natata *M.* **162** respondit] *ita M.* **165** celebra] cęlebrare *mut. in* cęlebrans *Celt. in M.* **173** Sanctę *M.*

Ac coepit verbis illum rogitare benignis,
Post scelus ad Christum vellet si vertere sensum.
180 Qui se salvari desperans dixerat illi:
'Si posset fieri, voluissem mente libenti,
Sed restat menti sceleris res facta volenti,
Me quia per litteras hosti dederam male scriptas
Et nomen Christi caecato corde negavi.'

185 Ad quem vir domini: 'Curam tibi fingere noli,
Ceu tibi sit venie penitus spes dempta petende.
fol. 60ᵛ Unicus ergo patris, iudex mitissimus orbis,
Ad se conversum qui numquam respuit ullum,
Si defles culpam, gaudet praestare medelam.
190 Hinc iam mortiferum peccati linque profundum
Necnon ad certum pietatis confuge portum,
Ad se tendentes qui salvos suscipit omnes.
His igitur miserum monitis correxit homullum
Necnon sponte suo nigro conclusit in antro,
195 Illic ut sordes licito defleret inormes.

Post tres ergo dies iterum veniebat ad illum
Inquirens, talem si posset ferre laborem.
Qui lassus nimium verbis responderat istis:
'Poenas spirituum pacior vix namque nigrorum,
200 Me quia continuis attrectant namque flagellis
Atque petunt iaculis lapidum sepissime duris.
Insuper obprobriis obponunt semper amaris,
Quod non invitus pridem, sed gratis adirem
Illos ipsorum sine vi me dans dicioni.'

205 Tunc anime medicus languescentis bene doctus
Lassatum refici iussit statimque recessit.
Post tempus parvum veniebat denique rursum

178 cepit *M.* **183** litteras] *ita M.* **188** illum *M.* **190** linquę *M.* **201** petiunt *M.*

Querens, obscuro quid tunc pateretur in antro.
Qui dixit: 'Certe melius valeo, pater alme,
fol. 61r 210 Longius horribiles tantum quia sencio voces.'
Hinc praesul laetus secreto pectore factus
Egreditur iuxta morem faciendo priorem.
Tandem post spacium veniens quadraginta dierum,
In quis peccatum lapsus deflevit amarum,
215 Invenit laetum, quem credebat fore mestum;
Et cum laeticiam miraretur sibi caram,
Peccator lacrimis iam mundatus bene largis
Et certus venię sancto dicebat amande:
'Spero quidem per te me salvari, pater alme,
220 In somnis quia te vidi luctamen inire
Pro me cum sevo necnon serpente maligno,
Quem tu vicisti subito virtute superna.'

Auribus intentis ut sensit verba loquentis
Antistes, laudem Christi cecinit pietati
225 Extraxitque loco captivi membra nigello
Et locat in propria noctis sub tempore cella,
Quę fuit aecclesię lateri coniuncta sacratę;
Illic et plebem iussit coire fidelem,
Ut pariter preculis pernoctarent studiosis,
230 Quo bonus errantem per consuetam pietatem
Pastor ovem turmis proprii iunxisset ovilis.
Ortus cumque nigras noctis sol expulit umbras,
Dextra praedicti comprensa pręsul homulli
Intrat in ęcclesiam secum quoque duxerat ipsum.

fol. 61v 235 Ut limen sacris tetigit venerabile plantis,
Affuit insidiis latitans clam demon amaris

212 Egreditur *corr. ex* Egredietur *man. post. M.* 219 pater] pariter *M.* 225 nigello *corr. ex* tugello *Celt. in M.* 226 temporæ *M.* 227 coniuncte *M.* 228 coeire *M.* 231 iunxisset *corr. ex* iunxit *M.* 235 Et *(init. litt.) M.*

Attraxitque virum magna vi denique rursum
Illius arrepta secreta fraude sinistra.
Ad quem Basilius forti mandamine functus:
240 'Inprobe fur, regis facturam redde perennis
Et furto raptam victus cito desere praedam!'
Cui mox communis cunctorum dixerat hostis
Perversis vacuas implens latratibus auras:
'Cur satagis proprium mihimet vi tollere servum,
245 Qui sua sponte meis submisit colla catenis?
Cartam percerte, mihimet quam reddidit ipse,
Tempore iudicii Christo monstrabo futuri.'

Cui sanctus rursum reddebat tale responsum:
'Ipsius Christi prȩcepto, iudicis aequi,
250 Reddere litterulas spero te protinus ipsas.'
His igitur dictis oravit turba fidelis
Altithronum preculis devoto pectore fusis,
Fidum pastorem quo confortaret in hostem.
Nec mora, de summo cecidit scriptura dolosa
255 Ante pedes sancti necnon pastoris amandi.

Tunc plebs corde pio gaudens cum praesule digno
Sparsit adusque polum voces cum carmine laudum
Conlaudans Christum solita pietate benignum,
fol. 62ʳ Qui captum veteris retraxit ab ore leonis.
260 Nos quoque plaudentes spargamus ad ȩthera voces
Laudantes dominum ridenti pectore Christum,
Qui nobis clemens talem veniȩ tribuit spem.
Ipsi namque decus soli, victoria, virtus,
Laudum cantamen maneatque perenniter. Amen.

---

237 sursum *M.* 240 peraennis *M.* 248 rursus *M.* 253 Eidum *M.* 254 cȩcidit *M.* 255 pastoris *corr. ex* patoris *M.* 256 pleps *M.* 258 Conlandans *M.* 262 Qui] Quo *M.* 264 peræn-niter *M.* AMEN *maiusculis M.*

fol. 62ᵛ

PASSIO SANCTI DIONISII EGREGII MARTIRIS

DUM FACTOR SUMMĘ, MEDIE RATIONIS ET IME
In cruce supplicium mortis pateretur amarum,
Orbem nocturnę circumduxere tenebrę,
Et sol deposito radii splendore sereni
5 Exequias domini celebrat famulamine tristi.
Quo mox astrologus viso Dyonisius almus,
Qui tunc Memphitidis artem discebat in oris,
Quę docet astrorum motus solis quoque cursum,
Obstupuit libris coepitque requirere lectis,
10 Si tunc eclypsis posset consistere solis.
Ast ubi non solitas sensit magus esse tenebras,
Descripsisse diem dignum ducebat et annum
Non dubitans designari quid forte stupendi,
Quod post mysterium declarasset tenebrarum;
15 Coniectatque deum signis testantibus almis
Actenus ignotum mundo mox esse probandum.
Ast ubi de rivis prefatę debrius artis
Athenas petiit sedem patriamque revisit,
Inter stultorum simulachra profana deorum
20 Culte constructam poni praeceperat aram
Hanc ipsam titulis decernens congrue pictis
Ignoti sub honore dei debere sacrari.
Quam doctor Paulus cum conspexisset opimus,
Quis sit hic ignotus, verbis rogitabat amicis.
fol. 63ʳ 25 Urbis cui primus Dyonisius ipse beatus

tit. *minusculis scr. M.* **1** *Post init. litt.* D *minusculis pergit M.* **5** cęlebrat *M.* **6** Que *M.* **11** magis *M.* **13** *Post* dubitans *eras.* iam *M.* **15** almum *M.* **22** sacrari *corr. ex* sacri *Celt. in M.* **23** opimis *M.* **24** hic *mut. in* is *Celt. in M.*

Exposuit causam, pro qua construxerat aram;
Et sic alternis certantibus ergo loquelis,
Qui fuit incredulus, fidei cessit bene victus.

Post haec egressus caeco dat lumina Paulus,
30 Quem properare quidem cicius precepit in urbem.
Hunc functum cernens praedictus lumine princeps
Et credens signo divino numine facto
Festinat subito Damari cum coniuge cara
Pergere, quo Paulum cognoverat esse beatum
35 Ipsius multa iuris comitante caterva.
Qui pariter ⟨cuncti⟩ sacro baptismate tincti
Prorsus delicti mundantur sorde veterni;
Et, qui dux plebis fuerat simulachra colentis,
Pręsul catholico praeponitur ergo popello.

40 Hic praesul factus mira bonitate decorus
Sedulus officium bene complevit sibi iunctum
Absentes scriptis, pręsentes denique dictis
Ad vere cultum fidei ducendo sequendum.
Nam quondam pergens semen verbi quoque spargens
45 Hospes iam vergente die fertur petiisse
Sanctum presbiterum Cretensem nomine Carpum,
Qui male tristicia conturbabatur amara
Necnon plus licito succensa ferbuit ira,
fol. 63v Quidam gentilis quia perversis suadelis,
50 Fecit christicolam fidei sacra spernere quendam.
Hunc ut presbiterum pręsul sensit fore mestum,
Causam tristicię verbis quęrebat amicis;

27 loquęlis *M.* 29 coeco *M.* 33 clamari *M.* 36 cuncti] fuerant *suppl. Celt. in M.* 38 simulachra] h *supr. lin. M.* 39 *Litt.* P *del. et* p̄ (= prae) *in marg. scr. Celt. in M.* 40 *Sine init. litt. M.* 46 pręsbiterum *M.* 48 -sa ferbuit ir- *partim in ras. renovavit Celt. in M.* 51 ut] et *M.* pręsbiterum *M.*

Et tristem monitis blande mulcendo benignis
Suaserat, ut nimiam cordis deponeret iram
55 Et pro dampnandis exoraret scelerosis,
Qui cito conversi Christoque reconciliati
Eius perciperent mitis munus pietatis.
Admonuitque crebro nulli debere negari
Spem venię, proprium vellet si flere reatum.
60 Set, qui tristicię studuit spreta pietate,
Econtra frendens cordisque furore tabescens
Apposuit miseris duris maledicere verbis
Protestans illos neutra dignos fore vita,
Qui vixisse deo presumpsissent sine vero.
65 Hac tam tristifica tandem ratione peracta
Mente satis tristi componit membra quieti.
Nec mora, monstratur cęlis illi patefactis
Visio, quę fluctus animi compescuit eius,
Scilicet altithronum miro splendore coruscum
70 Viderat angelicis septum residere ministris
De cęloque rogum raptim descendere magnum,
Ceu foret emissus scelerum vindex aliquorum.
fol. 64r Hinc terras oculis rursum lustrando reflexis
Horrendum baratrum conspexit hiare deorsum
75 Anguibus impletum variis poenisque refertum;
Supra quod miseri plantis lapsantibus illi
Herebant ergo flentes in litore summo;
Egressi quoque serpentes illos cruciantes
Cogebant secum baratrum penetrare profundum.

56 Qui cito *corr. ex* Quiscito *M.* xp̄oquę *M.* **60** Sed *corr. ex* Set *Celt. in M.* **62** maledicere *corr. ex* madicere *Celt. in M.* **65** Hac tam *corr. ex* Haucta *Celt. in M.* **67** Nec mora *corr. ex* Nemora *Celt. in M.* ille *M.* **76** illi *corr. ex* illis *M.*

80 Quo viso Carpus maiore furore repletus
Deflet, quod miseri non essent pręcipitati,
Voceque confusa rursum repetens maledicta,
Ut divina reos, orat, mox ultio perdat.
Dixerat et Iesum solita pietate benignum
85 De summo cęli solio promptum misereri

. . . .

. . . .

Infit non mitem Carpi causando dolorem:
'Percute, si possis, contra me, Carpe, rebellis,
Qui cupis interitum sicienter adesse reorum;
En ego sum, cęli rector mortisque peremptor,
90 Humana rursus pro gente pati pie promptus,
Si non salvari possunt aliter scelerosi,
Qui post commissum discunt deflere reatum.
Nec leve duco meę dextrę iam plasma perire,
Quod pulchrum feci, quod corruptum reparavi.
95 Elige nunc dulcem vel sectando pietatem
In cęlo mecum semper regnare per aevum
fol. 64v Vel per sevitiam dire mentis male duram
Supplicio baratri tradi sine fine profundi.'
His nimium iustus monitis vir mansuefactus
100 Exemplum cunctis imitandae fit pietatis.

Post haec summorum fama clarus meritorum
Pręsul disposuit Romam petiisse superbam
Optans cum Petro Paulo pariterque magistro
Nomine pro Christi se mox impendere morti.
105 Palmam martyrii sed sumpserunt prius illi,

85 proptum *M.* *Post v. 85 plures versus intercidisse videntur.* **90** pię *M.* promptus *corr. ex* proptus *Celt. in M.* **93** leuę *M.* **97** seuiciam *corr. in* seuitiam *M.* **100** cunctis *corr. ex* cuntis *M.* **101** *Sine init. litt. M.* **105** sumserunt *M.*

Quam portas Romę veniens intraverat ipse,
Discipulusque Petri Clemens venerabilis orbi
Sedis apostolicę culmen rexit satis apte.
Qui nam pontificem pie suscepit venientem
110 Illum condigne summoque colebat amore.
Denique post spatium decursi temporis amplum,
Quo servi domini commanserunt venerandi,
Cum iam cęlestis pietas mitissima regis
Aeternę radio lucis voluisset opimo
115 Errorum tenebras veterum discindere nigras,
Quis tunc occiduę partes fuerant male cinctę,
Papa prior monitus divino flamine sanctus
Pontifici verbis digno suadebat amicis
Semina divini per gentes spargere verbi.
120 'En', ait, 'o miles Christi, frater Dyonisi,
fol. 65ʳ Magna seges domini crescit per clymata mundi
Prębens innumeras maturę messis aristas;
Instantes messi sed constant oppido pauci.
Hinc tu, sacrorum bibulus qui fonte librorum
125 Constas divini sciolus quam maxime cultus,
Exemplo Pauli securus perge magistri
Imperio populos Christi subiungere multos.
Et tibi credo potestatem ditionis eandem,
Quam Christum Petro scimus credidisse magistro,
130 Et quam suscepi successor iure magistri
Conversos pie solvendi sontesque ligandi.
Accipe nunc Gallos tibi me tradente docendos,

106 intrauerat *corr. ex* intrauit *Celt. in M.* **108** aptę *M.* **111** spatium *corr. ex* spacium *M.* **115** nigras] tugras *M.* **118** suadebat *in ras. M.* **119** diuini *corr. ex* diuina *M.* **124** sacrorum *corr. ex* sacrarum *man. post. M.* **125** Constans *M.*

Doctrineque tui signetur Gallia sorti,
Quo vir apostolicus digna celebreris alumna.
135 Nec vereare quidem gentes intrare rebelles,
Quę restant vero frendentes more ferino;
Sed tibi mercedis tantum confide perennis
In patris astrigera summi servarier aula,
Quantum pro Christo tuleris patiendo doloris.'

140 **H**is papę blandis prȩsul monitus suadelis
Occiduę fines partis festinus adivit
Moenibus atque Paris gressum mox intulit urbis,
In qua crebro loci pro fertilitate decori
Gallorum proceres concurrunt sepius omnes.
fol. 65[v] 145 Hic ubi divini coepit sacra semina verbi
Spargere, signorum mox exercere per illum
Christus virtutes dignabatur pie plures,
Quo tanto plebis mollescere corda rebellis
Ad veniam possent, quanto crebro signa viderent.

150 **A**st ubi credentis numerus populi magis auctus
Inspirante dies Christo crevisset in omnes,
Infremuit super hoc veteris fraus seva draconis
Dedignans animas sese iam perdere tantas,
Quas prius errorum laqueis capiebat amaris.
155 Hinc pater ipse doli sceleris doctorque maligni
Provocat iniustum regem mox Domitianum
Christicolis edicta necis dictare ferocis.
Qui decreta per omne suum mittens mala regnum
Christi cultores morti dampnaverat omnes.
160 Cuius prȩcepto Sisinnius ergo nefando
Preses consensum praebens extimplo malignum

134 cælebreris *M.* **137** peraennis *M.* **140** *Sine init. litt. M.*
142 Menibus *M.* **150** *Sine init. litt. M.*

Pontificem praesentari vinctum iubet illi,
Quem fore Gallorum cognovit rite magistrum;
Ac primum flagris mactatum denique duris
165 Necnon suppliciis affectum crebro cruentis
Carceris in tenebras iussit concludier atras,
Ipsius condiscipulos pariter quoque binos,
Quos numquam caro sors cogit abesse magistro.

fol. 66r Sed nec carcereis prȩsul praeclarus in antris
170 Destitit obsequium domino persolvere dignum,
Sed docuit plebem studiose convenientem
Ac celebrat sacrȩ solito sollempnia misse.
Ast ubi caelestem debebat frangere panem,
Lux nova tristifico subito fulgebat in antro;
175 In qua sidereȩ regnator splendidus aulȩ,
Scilicet angelica pariter comitante caterva
Apparens carum consolabatur alumnum
Sanctaque dans illi mulcebat famine tali:
'Accipe, care meus, mis iam venerabile corpus,
180 Cuius misterium tibi mox conplebo secretum;
Namque tui merces mecum manet optima perpes.
Hisque salus summa patris prestatur in aula,
Consentire tuis qui dant operam pie iussis.
Certa constanter servaque fidem patienter,
185 Quo crescant celebris tibi iam praeconia laudis;
Et, quodcumque sacris a me precibus rogitabis,
Impetrare mei poteris dono pietatis.'
Tali laetatus fortis solamine testis
Nulla timet tormenta pati pro nomine Christi.
190 Post haec abstracti testes de carcere terni

169 *Sine init. litt. M.* **179** carȩ *M.* **185** cælebris *M.* **186** præcibus *M.* **189** timet *corr. ex* tibimet *Celt. in M.*

Prȩcepto mox praefecti cogente superbi,
An vellent duris, rogitantur, cedere poenis.
fol. 66ᵛ Qui bene concordes, clara quoque voce fatentes
Patrem cum nato necnon cum flamine sacro
195 Esse deum verum solumque perenniter unum,
Testantur mox malle mori pro nomine Christi
Membratim quoque suppliciis scindi redivivis,
Quam sua colla diis umquam submittere falsis.
Hac magis offensus praeses ratione profanus
200 Ceu leo non modica rugiens praeceperat ira
Athletis Christi cervices mox resecari
Et gladiis cunctos perimi baptismate lotos.
Cedibus innumeris, ut iussit, namque peractis
Prȩsul cum sociis iunctus trahitur venerandus
205 Ad loca martyrii damno capitum peragendi.
Qui nam gaudentes domino laudesque canentes
Pergebant prompti semet mox dedere morti.
Praesul tunc oculis sursum manibusque levatis
Altithrono tales fundebat congrue grates:
210 'Mi dee, mi factor, mi clementissime rector,
Qui me vitali prȩstans aura pie vesci
Scilicet ingenii donasti luce profundi,
Quo tis secretum scrutarer mysteriorum,
Te solum laudo, te cordetenus benedico
215 Et tibi devotas cunctis grates ago membris
Pro cunctis donis mihi collatȩ pietatis;

195 peraenniter *M.* **197** scindi rediuiuis *corr. ex* scindere diuiuis *man. post. M (Celt.?),* scindi recidivis *propos. Homeyer.* **201** Adlætis *(sic) M.* **202** perimi *corr. ex* pemi *M.* **207** prompti *corr. ex* propti *Celt. in M.* **213** secretum *corr. ex* secretis *M.*

fol. 67r Teque precor, maiestatis rex magne perennis,
Ut dare perpetuam mihimet dignere coronam
Atque meis sociis pro te iam nunc morituris;
220 Tuque tuum populum serva pietate paterna,
Quem pascens fidei tibimet sermone nutrivi.'

His ita poscentis precibus iam rite peractis
Una discipuli sancto cum prȩsule bini
Poplitibus positis cervicibus atque reflexis
225 Ictus lictoris susceperunt ferientis.
Quorum permansit celebris confessio talis,
Ut, dum praecisis siluerunt corpora collis,
Palpantes linguȩ laudes domino cecinere.
Truncatum quoque pontificis corpus morientis
230 Erigitur subito nitidum splendore sereno
Atque caput brachiis portans proprium bene firmis
Descendit recto gressu de monte profundo,
In quo martyrium consummavit pretiosum;
Transiliensque viae citius duo milia durȩ
235 Venit adusque locum servando corpore dignum.
Quem descendentem cursuque cito gradientem
Coetus angelici comitantur luce sereni
Alleluia deo resonantes voce sonora.

His signis factis convenit turba fidelis
240 Martyris atque loco venerabile corpus in ipso,
fol. 67v Quem sibi signavit, cum post gressus requievit,
Impositum tumulo veneratur honore supremo
Exequias tanti luctu celebrando patroni.

217 prȩcor *M.* peraennis *M.* 222 *Sine init. litt. M.* præcibus *M.* 231 portas *M.* firmis *corr. ex* fimis *M.* 233 pretiosum] preciosum *corr. ex* prætium *Celt. in marg. M.* 235 adusque *corr. ex* usque *M.* 237 Caetus *M.* 239 *Sine litt. init. M.*

Illic pro meritis eius testis venerandis
245 Christus virtutes fecit clarescere signis;
Nam visus caecis, ⟨usus⟩ lingue quoque mutis,
Auditus surdis, solidus gressusque podagris
Teste precante sacro donatur crebrius illo,
Et variis egri morbis qui debilitati
250 Adveniunt, laeti membris redeunt renovatis.
Hic quoque non raro mestis solamina grata,
Et munus venię scelerosis fertur ab arce
His, qui sacra precum profundunt vota suarum
Martyris ad tumulum proprium deflendo reatum.

255 Cuius continuo nos intercessio sancta
Commendet Christo scelerum veniamque precando
Optineat nostris ipsum pie parcere culpis
Et partem nobis vitę praestare perennis;
Quo mereamur eum laeti laudare per aevum,
260 Qui post dura suis semper certamina sanctis
Martyribus duplicis bravium praestabit honoris,
Ut, dum congaudent animae super aethera sanctae,
Non minus in tumulo laetentur mortua membra
Signorum titulis crebro glorificata coruscis.
fol. 68r 265 Ipsi summa salus, perpes victoria, virtus,
Laus, honor, imperium, semper decus omne per aevum!

---

246 usus] sermo *suppl. Celt. in M.* **247** podagrys *M.* **248** præcante *M.* danatur *M.* **253** precum *corr. ex* pracum *M.* **255** *Sine init. litt. M.* **258** peraennis *M.* **264** glorificate *M.*

PASSIO SANCTĘ AGNETIS VIRGINIS ET MARTIRIS

VIRGO, QUĘ VANAS MUNDI POMPAS RUITURI
Et luxus fragilis cupiens contempnere carnis
Promeruit regis vocitari sponsa perennis,
Si velit angelicę pro virginitatis honore
5 Ipsius astrigera sponsi caelestis in aula
Addita caelicolis nitida fulgere corona
Atque sequens agnum carmen cantare sonorum,
Conservet pure sincero cordis amore
Signum laudabilis, quod portat, virginitatis;
10 Quę⟨que⟩ caput Christo signat velamine sacro,
Hereat affectu tenero constanter in illo
Ac cunctis aliis ipsum praeponat amicis,
Qui rutilans nimium forma speciosus amoena
Natos cunctarum merito vincit mulierum.
15 Cuius amore quidem ferventes congrue pridem
Perplures sacrę constanti corde puellę
Elegere mori sęvis poenisque necari,
Quam decus insignis corrumpere virginitatis.
Inter quas Agnes, mundo celeberrima virgo,
Iure sui sponsi condigna laude decori
fol. 68ᵛ 20 Christi dissimilem cunctis recitando decorem
Virginibus sacris eius commendat amoris
Pignus, qui genitus sacra de virgine solus
Sponsus castarum necnon decus est animarum.

tit. INCIPIT PASSIO *etc. (partim minusculis scr.) M.* **1** *Post init. litt.* V *minusculis pergit M.* **3** peraennis *M.* **5** sponsi] i *in ras. M.* **8** sincero *corr. ex* scincero *M.* **10** Quęque] que *suppl. Celt. in M.* **13** amęna *M.* **14** cunctarum *corr. ex* cunctorum *M.* **24** castarum] castorum *mut. ex* castrorum castrorum *M.*

25 Haec Agnes ergo, meritis clarissima virgo,
Carmine non culto pangit quam nostra camena,
Urbis famosę praenobilis incola Romę,
Prodiit almorum clara de stirpe parentum,
Inclita nobilitas quos vexit et alma potestas;
30 Ortus atque sui respondens nobilitati
Pulchra fuit facie fideique decora nitore
Praecipuis nimium meritis mundoque celebris.
Quę nam tincta sacri pura baptismatis unda
Et de delicti maculis mundata veterni
35 Se totam Christo devovit mente benigna
Nitens servata bene virginitate beata
Spernere carnales affectus fortiter omnes
Celibis et vitę durum luctamen inire,
Quo victrix hostis corruptelam suadentis
40 Iungi caelicolis meruisset in aethere sanctis.

Ast ubi lustra duo celeri cursu revoluta
Insuper et ternos aetatis transigit annos,
Simphronii comitis, praefecti scilicet urbis,
Filius insignis iuvenilis stemmate floris,
fol. 69r 45 Illius forme decus ut vidit speciosae,
Affectu nimio cordis suspensus in illa
Hanc sibi prae cunctis unam delegit amandam
Se fortunatum credens et honoribus aptum,
Si tam praepulchre meruisset habere puellę
50 Dulcia per propriae tempus consortia vitę.
Hinc illam multis adiit comitatus amicis
Desponsare volens sponsam Christi venerandam
Pluraque de patris comportans munera gazis
Stultus speravit, quod perpetrare nequivit,

31 facię *M.* 35 mentę/ *M.* 42 transiit *M.* 45 spetiosę *M.*
51 adiit multis *M.*

55 Virginis ut stabilem donis corrumpere mentem
Illius et turpi coniungere posset amori.
Sed Christi virgo spernens ceu stercora dona
Pondus et oblati dedignans protinus auri
Splendorem quoque gemmarum rutilum variarum
60 His verbis iuvenem causari fertur amentem:
'O fili mortis merito dampnande perennis,
O fomes sceleris, contemptor et omnipotentis,
Discedens a me citius fugiendo recede,
Nec credas te posse meum pervertere purum
65 Cor, quod amatoris praevenit nobilioris
Dulcis amor, pulchrum cuius fidei fero signum
In facie summa necnon in corpore toto,
Quo me signavit strictimque sibi religavit,
fol. 69v Ne mea mens alium iam praesumpsisset amicum
70 Quaerere, sed solum complecti disceret illum,
Qui virtute potens omnique decore refulgens
Caelestes et mortales supereminet omnes.
Hunc sine matre pater cani retro tempora mundi
In deitate parem nec maiestate minorem
75 Omnipotens genuit, per quem sibi secula fecit;
Et sine patre quidem mater pariebat eundem
Factorem proprium lactans sub tempore natum.
Cuius praepulchram mirantur denique formam
Solaris splendor lunę renitens quoque candor
80 Laudantes radiis dominum fulgentibus orbis;
Cuius et imperio famulantia sydera cuncta
Illis iniunctum complent per tempora cursum;
Cui conclamantes condignis laudibus omnes
Coetus angelici non desistunt famulari;

59 rutilarum *M.* **61** peraennis *M.* **62** fames *M.* **67** facię *M.* **70** Quererę *M.* **77** Factor est *M.* **84** Cætus *M.*

85 Mira cui bonitas est et praecelsa potestas,
Gloria sublimis, perpes concordia pacis,
Laudabilis pietas nimiumque benigna voluntas.
Talis namque meus, quem diligo, constat amicus,
Quem fateor solum prae cunctis esse colendum.
90 Ille quidem talis me desponsavit amoris
Pignore ceu sponsam clara dotando corona
Atque meum gemmis collum cinxit pretiosis,
fol. 70ʳ Auribus et resplendentes suspendit inaures
Praebens ornatus varii claros mihi cultus.
95 Ipsius certe dulcedo fluxit ab ore,
Quę me lactavit dulci pastuque cibavit
Ceu nectar mellis suavis vel copia lactis.
Insuper et thalamum mihimet construxit in aevum
Lucentem gemmis variis aurique metallis,
100 Organa melodiis in quo resonando canoris
Carmen dulce mihi cantant per tempora secli
Et pariter sponsi laudes modulantia cari
Illius affectum semper suadent mihi castum.
Affectu quem secreto ⟨cum⟩ cordis amabo,
105 Nulla puellaris pacior detrimenta pudoris;
Ast ubi forte sui merear complexibus uti
Eius et in thalamum sponsarum more coruscum
Duci, permaneo virgo sine sorde pudica.
Cui debebo fidem soli servare perennem:
110 Ipsi me toto cordis conamine credo.'

92 præcioosis *M.* 93 Auribus *del. et* Torquibus *suprascr. Celt. in M.* 94 varij *corr. ex* vari *Celt. in M.* **100** Orgona *M.* **104** cum] nunc *suppl. Celt. in M.* **109** debebo *corr. ex* delebo *M.* peraennem *M.* **110** cordis *corr. ex* corde *M.*

His miser auditis spiculis perfossus amoris
Ingemuit crebro ducens suspiria longa,
Hoc quia non meruit, ceco quod corde petivit;
Et super hoc maerens nimioque dolore tabescens
115 Decidit in lectum stultissimus ille virorum
Et simulans male languorem celavit amorem,
fol. 70v Qui sibi causa gravis fuerat non parva doloris.
Nec mora, fit notum fama prodente sinistra
Natum praefecti nimio languore ligari:
120 Conveniunt subito medici velut agmine facto,
Apponunt variis aptas morbis medicinas;
Harum sed iuveni nil proficiebat amenti.
Tandem senserunt, quod mox patri retulerunt,
Non hoc languoris signum, sed fortis amoris,
125 Quod contristatus pateretur filius eius.
Quo pater audito causa morbique reperta
Ut leo frendescens rapidam conversus in iram
Incepit percontari rabie furienti,
Quis foret ille potestatis sic imperialis,
130 In quo spe vana virgo confisa superba
Crederet esse sibi iunctum, contemnere natum
Eius, qui plebi merito celeberrimus omni
Esset condigne summo provectus honore.
Haec ubi disseruit nimioque furore latravit,
135 Comperit hanc ipsam sacro baptismate lotam
Agnen christicolam primis fore semper ab annis

112 crebo *M.* ducens *corr. ex* dicens *Celt. in M.* **114** merens *M.* **118** notum] notus *mut. ex* natus *(?) M.* **119** p̄fecti *corr. ex* ꝓfecti *M.* **122** iuueni nil *corr. ex* iuue nihil *(?) man. post. M.* **125** contristatus *mut. in* contristariis *man. post. M.* **128** rabię *M.* **131** contemnere] *ita M.* **132** plębi *M.* **136** Agnen *(acc.) etiam in v. 443 scr. M.* primis *corr. ex* primus *M.*

Et conservande pro virginitatis amore
Esse suum sponsum consueto dicere Christum.
Quo nam comperto laetatur corde maligno
140 Sperans ⟨se⟩ teneram merito debere puellam
fol. 71ʳ Sevis ad cultum poenis urgere deorum
Et sic posse suum tandem complere furorem,
Quo pro contemptu nati furiebat egroti.
Hinc illam citius sisti conspectibus eius
145 Iussit; et astantem nulloque metu trepidantem
Primo suadelis nimium mulcebat amicis,
Tunc etiam probris dure cogebat amaris,
Ut se sponte sui nati copularet amori
Et simulachra deum coleret Christumque negaret.
150 Sed virgo Christi nec suppliciis superari
Nec blandimentis potuit devincier ullis,
Quin servaret amatori sine fraude priori,
Quod pepigit, pactum signo fidei stabilitum.
Cui praeses pravam rursum renovans suadelam
155 Dixit: 'Si vere cupias intacta manere
Virgo, deae magne citius subiungere Veste
Eius sacricolis et consociare puellis,
Quo condigna fias illi semper famulari.'

Haec inquit praeses; contra sed sic ait Agnes:
160 'Si mihi iure tuum placuit contempnere natum,
Qui ratione vigens cunctis quoque sensibus utens
Corporeis anima regitur numquam moritura
(Quamvis sit merito baratro claudendus in imo
Multis errorum pro commissis variorum,

140 se] mox *suppl. Celt. in M.* **156** /itius *del. et* cicius *suprascr. Celt. in M.* **157** consotiare *M.* **158** samulari *M.* **163** Quam iussit *M.*

fol. 71ᵛ 165 Ni sanum sapiens et quandoquidem resipiscens
Se tingui faciat pura baptismatis unda),
Quis te posse minis vel quis tandem suadelis
Ad simulachrorum reris me cogere cultum,
Artificum cura quę conformata metallo
170 Membrorum falsam portant solummodo formam
Mobilis officium complent nec corporis ullum
Neque suum quid viventis monstrant animalis?
Et quod ab his insensatis monstrisque profanis
Solamen vitę mihimet sperare gerendę
175 Possum, quę vita sensuque carentia cuncto
Nec sibi proficiunt mihi nec succurrere possunt?'

Haec ubi dicta dedit, pręses Simphronius inquid:
'Florentem primis te nam cognosco sub annis,
Ingenio parvam necnon aetate tenellam;
180 Hinc infantili parcendo simplicitati
Prudenter te subporto, lasciva puella,
Quo parcendo tuum cicius te flectere collum
Sub sacris Vestę plantis faciam venerande
Tureque nostrorum numen placare deorum.
185 Sed si tam mitem spernendo mei pietatem
Contraluctaris, mea ne praecepta sequaris,
Ultra non parco, sed vim iustam faciendo
Mando sub obscenae latebris te claudier edis,
fol. 72ʳ In qua criminibus turpes gaudent mulieres;
190 Et faciam pollutarum sociam meretricum,
Quo tu, quę clara polles de stirpe creata,
Dedecus omne tuis sis et confusio turpis.'

167 nimis *M.* **171** corporis *corr. ex* corpus *Celt. in M.* **172** suum quid *(«Wesensmerkmal»)*] *ita teste v. Winterf. p, ras. (auctore Celt.) in M.* **177** *Sine init. litt. M.* **180** infan/tili *M.* **184** Iureque *M.* deorsum *M.* **188** obscęne *M.* **190** merętricum *M.* **191** cræata *M.*

At sacra virgo minis minime trepidans super istis
Audacter mox praefecto dedit ista responsa:
195 'Si tu namque deum scires hunc, quem colo, verum
Illiusque potestatem sine fine vigentem,
Qua semper proprios pie confortando ministros
Antiqui fraudes hostis confringeret omnes,
Talia verba tuo nolles profundere rostro
200 Nec mihi terrores tocies praeponere tristes.
Hinc ego, quę sectando fidem Christi meliorem
Illum cognosco necnon cognoscor ab illo,
Ipsius dextra me defendente superna
Spero delicti numquam maculis violari,
205 Carnis spurcitias fragilis sed vincere cunctas.'

His dictis seva praeses commocior ira
Cęlestis sponsam regis iussit venerandam
Vestibus exutam, toto quoque corpore nudam,
Concurrente trahi conventiculo populari
210 Inque lupanaris nigrum concludier antrum,
In quo lascivi iuvenes rationis egeni
Colloquio scelerosarum gaudent mulierum.
fol. 72ᵛ Sed Christus proprię praebens solamina sponsę
Illam convitiis tangi non sustinet ullis.
215 Ast ubi distracto nudatur tegmine toto,
Continuo bene densati crevere capilli,
Qui ductu longo lapsi de vertice summo
Descendendo pedum plantas tetigere tenellas,
Corpus et omne comis tegitur ceu tegmine vestis.
220 Utque lupanaris calcavit limina tristis,

193 *Sine init. litt. M.* minime] nimium *M.* **198** Antiquę *M.* **199** uerba *corr. ex* uerbo *M.* **205** cunctas *corr. ex* cuntas *M.* **206** *Sine init. litt. M.* **210** Inquę *M.* **212** scęlerosarum *M.* **215** nudator *M.* **219** tetigitur *M.*

Extimplo suavis sensit dulcamen odoris
Atque locum turpem miro splendore micantem
Aspexit, tenebris qui sordebat prius atris.
Et cum sordidulum compulsa subintrat in antrum,
225 Angelus altithroni blande stetit obvius illi,
Custos indubius fuerat qui corporis eius,
Optulit et vestem niveo splendore micantem
Eius mensurę conformatam satis apte.
Hac induta quidem direxit ad aethera vocem
230 Assidue grates Christo resonando suaves,
Cuius opem tanti sensit sub fasce pericli,
Cuius et auxilio fuerat protecta paterno,
Ne posset veteris corrumpi fraudibus hostis.

Interea iuvenes cęcato corde furentes
235 Undique collectis cursim venere catervis
Certantes studio perverse mentis iniquo,
fol. 73ʳ Quis prior intraret vel quis perdiscere posset,
An virgo suffulta sui munimine Christi
Haec, quae carnales semper contempsit amores,
240 Iam nunc in coepto posset persistere voto.
Nec mora, cognoscunt nec contradicere possunt,
Quod numquam longum quis confundetur in aevum,
Qui credens domino firma spe pendet in illo;
Nam quicumque sua compulsus mente superba
245 Ingreditur turpis latebras temerarius ędis,
Ut radios lucis vidit mire rutilantis
Angelicę pręfulgentem vestisque nitorem,
Correptus signi nimio terrore stupendi

224 sordiculum *M.* **228** aptæ *M.* **230** Assiduę *M.* **231** sensit *corr. ex* sitisit *Celt. in M.* **234** *Sine init. litt. M.* **240** incepto *M.* **246** mirę *M.* **247** tutorem *M.*

Prostratus sacrę plantis extimplo puellę
250 Postulat errorum laxari vincla suorum
Testaturque deum verum fore iure colendum,
Eius cultores qui consolabitur omnes;
Sicque locus scelerum domus efficitur precularum.
Tandem praefecti natus venit male sanus,
255 Cuius sustinuit causa vim virgo beata.
Qui mox ingressus ridenti corde misellus
Nec dixit laudem domino nec reddit honorem,
Gratia tristifico cuius radiabat in antro,
Sed detestabilem laetus tendebat in aedem
260 Amplexu dulci sperans se virginis uti
fol. 73v Iam licito sacrę, cuius languebat amore.
Sed Christi pietas necnon praecelsa potestas
Fortiter obsistens illi perversa volenti
A corruptela propriam protexit alumnam
265 In reprobam miserum mortem tradebat et illum.
Nam mox ut rapido cursu properaverat illo,
Quo supplex laudes domino resonaverat Agnes,
Infelix membris inprovisa resolutis
Morte ruit pronus Christi virtute peremptus.

270 Quo pater audito miser advenit lacrimando
Stipatus multa populorum namque caterva
Et sese miserum clamans spargebat in altum
Voces his sanctam verbis causando puellam:
'O mulier male crudelis, cui non muliebris
275 Cordis inest feritas nimiumque cruenta voluntas
Corpore sub tenero frendescens more ferino,

253 precular/um *M.* **256** misellus *corr. ex* misellū *Celt. in M.* **258** rediabat *mut. ex* rediebat *M*; radiebat *coni. v. Winterf., Str.* **259** dete stabilem *mut. in* dese stabilem *man. post. M.* **267** laudes des *dittographiam del. M.* agnes *in ras. M.* **270** *Sine init. litt. M.* **274** mala *M.*

Dic, quę causa meum cogit te perdere natum,
Qui decus omne suis et spes fuerat genitoris
Quondam felicis talis de germine prolis,
280 Sed nunc orbati misere pro funere nati?
Hinc patet ergo tuam mentem nimium vitiosam
De rivulis magicę fraudis bibulam satis esse,
Florentem primis quia forte necare sub annis
Subtractum dulci iuvenem vita voluisti.'

fol. 74ʳ 285 At sacra conviciis virgo non frangitur istis
Praefecto nec responsum reddebat acerbum,
Dulcia sed resono profundens verba palato
Dixit facunde bene composita racione:
'Non ego causa necis iuveni fueram pereunti,
290 Sed magis ipse sibi fuit incensor moriendi,
Glorificare deum stultus quia spreverat illum,
Gloria tristifico cuius praefulget in antro.
Sed nunc, ut plane toto clarescat in orbe
Eius maiestas necnon praecelsa potestas,
295 Ipsius suavem supplex oro pietatem,
Ut corpus rigidum iubeat recalescere rursum
Atque novum membris hominem reparet redivivis.'
Dixit et astantes egredi praeceperat omnes;
Et prostrata solo fundensque preces lacrimando
300 Prestari petit a domino veniam sceleroso.
Cui mox oranti misero vitamque precanti
Angelus astiterat procumbentemque levabat
Prebens colloquiis illi solamen amicis

280 fune *M.* **281** uitiosam *corr. ex* uitiosum *M.* **284** ualuisti *M.* **285** *Sine init. litt. M.* **292** testifico *M.* **298** egredi *mut. in* regredi *Celt. in M.* praeceperat *corr. ex* praecerat *Celt. in M.* **299** pręces *M.* **301** præcanti *M.* **303** colloquiis *corr. ex* colloquis *M.*

In verboque dei iussit virtute potenti
305 Extinctum subito flatu vixisse resumpto.
Qui citius dicto iussus surrexit ab humo
Viribus et cunctis plene membris restitutis;
Ac laudum dulces spargens super aethera voces
fol. 74v Grates continuo solvebat mente iocunda
310 Christo, victori mortis viteque datori.
Inde quidem prima prorsus forma renovata
Processit vivus, qui morte fuit religatus;
Atque suo tristi se praesentando parenti
Fit res gaudendi, fuerat cui causa dolendi.
315 Hinc crebro caelum pulsans clamore profundum
Utitur et verbis suadens studiosius istis:
'Credite, Romani cives, rogo, credite cuncti
Esse deum Christum verumque perenniter unum
Cum patre celsithrono necnon cum flamine sacro
320 Semper regnantem sceptrum caelique tenentem;
Sub ditione sua qui complectens universa
Cuncta gubernaclis regit inmense bonitatis.
Hic est orandus solusque colendus amandus;
Qui prius errantem necnon perversa volentem
325 Morte repentina citius me praeveniendo
Finem stultitię dignabatur dare tante
Et post erranti promptus solito misereri
Virginis Agnetis precibus sacrae studiosis
Mollitus rursum vitę reddit renovatum.'

304 uerbo quę *M.* **309** iocundo *M.* **316** studiosius *corr. ex* studiosis *man. post. M.* **317** cuncta *M.* **318** peraenniter *M.* **322** gubernaculis *M.* **323** es *M.* **324** uolentem *corr. ex* colentem *M.* **325** praeueniendo *corr. ex* prae uenientis *man. post. M.* **327** proptus *M.* **328** agnętis *M.* pręcibus *M.* scræ *(sine compendio) mut. in* seræ *man. post. M.*

330 At pater, ut natum prodire sui redivivum
Perfectum specie vidit plenumque decore,
Interitum lacrimis cuius deflevit amaris,
fol. 75r Mox super insolita signi novitate stupendi
Admirando pavet, laeto sed pectore gaudet.
335 Tunc amplectendo collum pietate paterna
Micia praedulci libaverat oscula proli;
Atque deum verum clamans dixit fore Christum,
Cuius tam celerem cognoscebat pietatem,
Cuius et imperio mors succumbebat amara
340 Reddens viventem, quem sorbebat morientem.
Scilicet astantes animis mirantibus omnes
Tollunt in caelum laeti praeconia laudum
Laudantes sanctum domini nomen benedicti.

Hoc vix pontifices crudeli corde ferentes
345 Commovere quidem non parvam seditionem
Agnem sacrilegam dicentes et scelerosam
Occidi poenis citius debere cruentis,
Illius causa quia contemptum simulachra
Cunctaque sacrorum paterentur iura suorum.
350 Hinc praeses mestus turbato pectore factus
Condoluit sacrę subtristi mente puelle;
Ignorat tamen omnino dubius, super illa
Quid sibi sectandum, vel quid restaret agendum:
Perdere non placuit, sed nec defendere quivit.

355 **T**andem discessit maerens aliumque reliquid
Iudicis officio functum feritate lupina,

331 spetię *M.* **333** super insolita *corr. ex* insuper solita *Celt. in M.* **338** celerem *corr. ex* scelerem *M.* **339** & *supr. lin. M.* **340** morientem *corr. ex* mouentem *Celt. in M.* **343** benedicti *corr. ex* benedictum *Celt. in M.* **344** *Sine init. litt. M.* **355** *Sine init. litt. M.* merens *M.* **356** feritate lupina *in ras. M.*

fol. 75ᵛ Qui fuit Aspasius dictus rituque profanus.
Qui citus Agnetem proici praecepit in ignem
Pontificum votis male concordando malignis.
360 Sed corpus castum nulla de sorde piandum,
Ardor carnalis quod non succendit amoris,
Ignis non lęsit praesens nec tangere quivit.
Denique divisę divino numine flammę
Virgineis tribuere locum precibus spaciosum:
365 Ac prorumpentes aestu nimioque furentes
Perdunt carnifices urendo primitus omnes;
Hinc circumstantem lambentes undique plebem
Incredulam plures raptim stravere falanges.
Sola sed inmunis stabat pia virgo caloris
370 Inter flammarum crines ludens crepitantes
Oravitque deum versis ad sydera palmis
Hoc utens in fronte precis modulamine laudis:
'Omniparens verbi genitor mundique creator,
Qui cum dilecto regnans retro tempora nato
375 Amborumque coaeterno cum flamine sacro,
Digne laudaris coleris veneraris amaris,
Te solum laudo, te laudando benedico,
Et tibi devote grates persolvo perennes,
Eiusdem quia fulta tui munimine nati
380 Numquam subcubui serpentis fraude vetusti,
fol. 76ʳ Corpore sed casto puro cordisque secreto
Carnis spurcitias pertransivi bene cunctas
Poenas sacrilegi pariter superando tyranni.

357 suit *M.* 358 citius *M.* 364 precibus] præcibus *M,* pedibus *propos. Str.* 367 circumstantem *corr. ex* circumstantes *M.* 368 falngens *M.* 372 præcēs *(compend. eras.) M.* 374 rętro *M.* 378 deuotę *M.* peraennes *M.* 379 munimine] nunimine *mut. ex* numine *Celt. in M.* 382 pertranssiui *M.*

Hinc gaudens in te nimium super hac pietate
385 Ad te nunc animis festino venire iocundis
Optans iura pati mortis ciciusque resolvi,
Quo merear vere contemplari sine fine
Te, quem quesivi, quem solum semper amavi;
Tu clemens animam pro te de corpore pulsam
390 Intra claustra tui dignanter suscipe regni,
Quo tu iure tuo pollens sub nomine trino
Rex unus machine rerum per saecula trinę
Istaec cuncta regis sceptro summe deitatis.'
Scilicet orantis precibus iam rite peractis
395 Ignibus extinctis moritur subito rogus omnis;
Et cinis ipse suis confrigescendo favillis
Sic expers omnis factus fuit immo caloris,
Ut nec scintillam sibi post servaverit ullam.

Hoc igitur signo iam clarescente stupendo
400 Quanto se virtus Christi plus detegit orbi,
Tanto maioris rabiem spirando furoris
Iniustus iudex animo cruciatur amaro
Nec patitur sacram post hęc superesse puellam,
Per quam sunt crebro miracula tanta patrata;
fol. 76v 405 Ense sed inmisso tenerum guttur penetrando
Martiris egregiae iugulum perfodit avare,
Et vice conversa, quod non speravit, agendo
Illi profecit, cui gratis obesse cupivit,
Transmittens cęlo, quam subtraxit male mundo.
410 Ast ubi pro Christo loetali vulnere laesa
Extremum domino flatum reddit moriendo

390 claustra *corr. ex* clastra *Celt. in M.* **393** Istaec] Istę *mut. in* Istaque *Celt. in M.* **396** confrigendo *M.* **398** sibi *corr. ex* sibo *M.* **399** *Sine init. litt. M.* **406** egreie *M.* **410** lętali *M.*

Atque fide salva gaudens obdormit in illo,
Ocius angelici coetus de sidere lapsi
Astantes animam niveo candore coruscam
415 Necnon cęlestis perfusam luce nitoris
Blande suscipiunt lętique per aera tollunt
Congrue divinę laudis resonantibus hymnis;
Indeque transvectam celeres super etheris ignes
Ducunt astrigeram sponsi caelestis in aulam.
420 A quo continuo clarum rutilante corona
Donatur purę pro virginitatis honore;
Nec minus ergo sui signo donanda triumphi
Martirii palmam sumpsit sine fine gerendam,
Quo martir felix, duplici certamine victrix,
425 Corporis et mentis carni semper renitentis,
Utens aeterni bravio decoris duplicato
Inter virgineas fulgeret clara catervas,
Lilia ceu pulchre roseo permixta rubore
fol. 77r Inter delicias florum rutilat variorum.

430 Interea quoque summorum sacra cura parentum
Excultam magna, funus venerabile, pompa
In gremio terrę toto contexit honore;
Nec saltim bustum sacrate virginis ipsum,
Quod pro servandis fuerat venerabile membris,
435 Sollicitudo parentalis contempsit amoris,
Sed sub nocturnis servat vigilancius horis.
At, dum pervigiles consueto more parentes
Excubias proli celebrabant mente fideli,
Caelitus his ipsis monstratur visio talis:
440 Denique virgineas subito descendere turmas

413 caetus *M.* **427** uirgineos *M.* **428** pulchrę *M.* **429** rutilat] *ita M, an legendum* rutilant? **430** *Sine init. litt. M.* **439** Cælitus *mut. in* Celitus *M.*

Viderunt lapsas celeri de cardine celi
Ornatas pulchre pleno comptasque decore;
Inter quas Agnen simili splendore nitentem
Conspexere suam pro Christo martirizatam;
445 A dextris cuius nive candidior stetit agnus.
Quos merito fidei scivit dignos venerari,
Blande colloquiis illos affatur amicis
Dicens: 'Gaudete mecum gratulando per aevum,
Sum quia luciflua regis celestis in aula
450 Virginibus sacris sociata perenniter istis.
Et nunc in celis illi coniungor amoris
Amplexu dulci, quem semper mente fideli
fol. 77v In terris colui cupiens sine fine tueri.'
His igitur dictis subito discessit ab illis.
455 Qui nimium laeti tanto solamine facti
Siccabant lacrimas super eius morte refusas
Et laudes domino psallebant voce canora,
Qui post dura suis tribuit certamina sanctis
Testibus aeternę clementer premia vitę.
Amen.

---

445 Ad *M.* 449 lucifluo *M.* *Post v. 459* AꟷEN *littera* M *graecissanti scr. M.*

EXPLICIT LIBER PRIMUS · INCIPIT SECUNDUS DRAMATICA SERIE CONTEXTUS ·

Huius omnem materiam sicut et prioris opusculi sumsi 1
ab antiquis libris sub certis auctorum nominibus con-
scriptis · excepta superius scripta passione sancti Pelagii ·
cuius seriem martirii quidam eiusdem in qua passus est
5 indigena civitatis mihi exposuit · qui ipsum pulcherri-
mum virorum se vidisse et exitum rei attestatus est vera-
citer agnovisse · Unde si quid in utroque falsitatis dic- 2
tando comprehendi · non ex meo fefelli sed fallentes in-
caute imitata fui ·

---

tit. *minusculis scr. sine interp. M.* 3 supenus *M.* pelagii *sine interp. sequ. M.* 4 senem martini quidem *M.* 5 exposuit *sine interp. sequ. M.*

⟨LIBER SECUNDUS⟩

⟨PRAEFATIO⟩

fol. 78r **P**lures inveniuntur catholici cuius nos penitus expurgare 1
nequimus facti · qui pro cultioris facundia sermonis ·
gentilium vanitatem librorum utilitati praeferunt sacra-
rum scripturarum · Sunt etiam alii sacris inherentes pagi- 2
5 nis · qui licet alia gentilium spernant · Terentii tamen
fingmenta frequentius lectitant · et dum dulcedine ser-
monis delectantur · nefandarum notitia rerum maculan-
tur · Unde ego Clamor Validus Gandeshemensis · non re- 3
cusavi illum imitari dictando · dum alii colunt legendo ·
10 quo eodem dictationis genere · quo turpia lascivarum in-
cesta feminarum recitabantur · laudabilis sacrarum casti-
monia virginum iuxta mei facultatem ingenioli celebrare-
tur · Hoc tamen facit non raro verecundari · gravique ru- 4
bore perfundi · quod huiusmodi specie dictationis co-
15 gente detestabilem inlicite amantium dementiam · et
male dulcia colloquia eorum · quae nec nostro auditui
permittuntur accommodari · dictando mente tractavi · et
stili officio designavi · Sed ⟨si⟩ hęc erubescendo negle- 5
gerem · nec proposito satisfacerem · nec innocentium
20 laudem adeo plene iuxta meum posse exponerem · quia
quanto blandicię amentium ad illiciendum promptiores ·

4 scripturarum *sine interp. sequ. M.* 5 terrentii *M.* 9 dictando *sine interp. sequ. M.* 10 genere *sine interp. sequ. M.* 17 permittuntur · accommodari *interp. M.* 20 exponerem *sine interp. sequ. M.*

tanto et superni adiutoris gloria sublimior · et triumphantium victoria probatur gloriosior presertim cum feminea fragilitas vinceret · et virilis robur confusioni subiaceret ·
fol. 78v Non enim dubito mihi | ab aliquibus obici · quod huius 6
vilitas dictationis multo inferior · multo contractior · pe-
5 nitusque dissimilis eius quem proponebam imitari · sit sententiis · Concedo · Ipsis tamen denuncio · me in hoc iure reprehendi non posse · quasi his vellem abusive assimilari · qui mei inerciam · longe praecesserunt in scientia sublimiori · Nec enim tantę sum iactantię · ut vel 7
10 extremis me presumam conferre auctorum alumnis · sed hoc solum nitor · ut licet nullatenus valeam apte · supplici tamen mentis devocione acceptum in datorem retorqueam ingenium ·
Ideoque non sum adeo amatrix mei · ut pro vitanda re- 8
15 prehensione Christi qui in sanctis operatur virtutem quocumque ipse dabit posse cessem praedicare · Si enim ali- 9
cui placet mea devotio · gaudebo · si autem · vel pro mei abiectione vel pro vitiosi sermonis rusticitate nulli placet · memet ipsam tamen iuvat quod feci · quia dum proprii
20 vilitatem laboris in aliis meę inscientię opusculis heroico ligatam strophio · in hoc dramatica vinctam serie colo · perniciosas gentilium delicias abstinendo devito ·

6 setentius concedo · *M.* 7 posse *sine interp. sequ. M.* 11 apte *sine interp. sequ. M.* 21 ligatam · strophio · *interp. M.* drammatica *M.* 22 diuito *M.*

EPISTOLA
EIUSDEM AD QUOSDAM SAPIENTES HUIUS LIBRI FAUTORES ·

Plene sciis et bene moratis · nec alieno profectui invi- 1
dentibus sed ut decet vere sapientes congratulantibus ·
HROTSVIT · nesciola nullaque probitate idonea · praesens
valere · et perpes gaudere ·
fol. 79r 5 Vestrę igitur laudandę humilitatis | magnitudinem satis 2
admirari nequeo · magnificeque circa mei vilitatem beni-
gnitatis atque dilectionis plenitudinem · condignarum re-
compensatione gratiarum remetiri non sufficio · quia 3
cum philosophicis adprime studiis enutriti · et scientia
10 longe excellentius sitis perfecti · mei opusculum vilis mu-
liercule · vestra admiratione dignum duxistis · et largito-
rem in me operantis gratię fraterno affectu gratulantes
laudastis · arbitrantes mihi inesse aliquantulam scien-
tiam artium quarum subtilitas longe praeterit mei mulie-
15 bre ingenium ·
Denique rusticitatem meę dictatiuncule actenus vix au- 4
debam paucis ac solummodo familiaribus meis osten-
dere · unde paene opera cessavit dictandi ultra aliquid
huiusmodi quia sicut pauci fuere qui me prodente per-
20 spicerent · ita non multi · qui vel quid corrigendum ines-
set enuclearent · vel ad audendum aliquid huic simile
provocarent · At nunc quia trium testimonium constat 5
esse verum · vestris corroborata sentenciis fiducialius
praesumo et componendis operam dare si quando deus
25 annuerit posse · et quorumcumque sapientium examen
subire · Inter hęc diversis affectibus gaudio videlicet et 6

tit. eiusdem – fautores *minusculis scr. M.* **2** congratulantibus *sine interp. sequ. M.* **4** valere *sine interp. sequ. M.* **6** utilitatem *M.* **16** dictatuncule *M.* **17** ostendere unde · *interp. M.* **18** pene *M.* **23** uerum uestris corroborata sentenciis · *interp. M.*

metu in diversum trahor · Deum namque cuius solummodo gratia sum id quod sum in me laudari cordetenus gaudeo · sed maior quam sim videri timeo · quia utrumque nefas esse non ambigo et gratuitum dei donum ne-
fol. 79v 5 gare · et non acceptum accepisse simulare · Unde | non 7
denego praestante gratia creatoris per dynamin me artes scire · quia sum animal capax discipline · sed per energian fateor omnino nescire · Perspicax quoque ingenium 8
divinitus mihi collatum esse agnosco · sed magistrorum
10 cessante diligentia incultum · et proprię pigricia inertię torpet neglectum ·

Quapropter ne in me donum dei annullaretur ob negle- 9
gentiam mei · si qua forte fila vel etiam floccos de panniculis a veste Philosophię abruptis evellere quivi · praefato
15 opusculo inserere curavi · quo vilitas meę inscientię intermixtione nobilioris materiae illustraretur · et largitor ingenii · tanto amplius in me iure laudaretur · quanto muliebris sensus tardior esse creditur ·

Hęc mea in dictando intentio · hęc sola mei sudoris est 10
20 causa · neque simulando · me nescita scire iacto · sed quantum ad me tantum scio quod nescio · Quia enim at- 11
tactu vestri favoris atque petitionis harundineo more inclinata · libellum quem tali intentione disposui · sed usque huc pro sui vilitate occultare · quam in palam pro-
25 ferre malui · vobis perscrutandum tradidi · decet ut non minoris diligentia sollicitudinis eum emendando investigetis quam proprii seriem laboris · Et sic tandem ad nor- 12
mam rectitudinis reformatum mihi remittite · quo vestri magisterio pręmonstrante · in quibus maxime peccassem
30 possim agnoscere ·

7 enerigian *M.* **8** fateor] e *supr. lin. M.* **9** magistrorum] *ita M,* magistrarum *coni. Str.* **12** *Init. litt.* Q *M.* **16** matene *M.* **19** HĘc *M.* **20** iacto *sine interp. sequ. M.* **25** perscrutandum] t *supr. lin. M.* tradidi *mut. in* contradidi *M.*

⟨PARS PRIOR⟩

fol. 80r

CONVERSIO GALLICANI PRINCIPIS MILICIĘ ·

qui iturus ad bellum contra Scithas sacratissimam virginem Constantiam · Constantini imperatoris filiam de-
5 sponsavit · sed in conflictu praelii nimium coartatus · per Iohannem et Paulum primicerios Constantię conversus ad baptisma convolavit · cęlibemque vitam elegit · Postea autem iubente Iuliano apostata in exilium missus martirio est coronatus · Sed et Iohannes et Paulus eodem iu-
10 bente · clam occisi · et in domo occulte sunt sepulti · Nec mora · percussoris filius · a demonio arreptus · patris commissum · et martirum confitendo meritum · iuxta eorum sepulchra salvatus una cum patre est baptizatus ·

---

fol. 80v CONSTANTINUS IMPERATOR · GALLICANUS · CONSTANTIA ·
15 ARTEMIA · ATTICA · IOHANNES · PAULUS · PRINCIPES ·

⟨CONSTANTINUS ·⟩ Tedet me Gallicane morarum quia gentem quam scis Scitharum · Romane solam resistere — I 1

1–13 *desunt C.* **1** *Post init. litt.* C *minusculis pergit M.* **6** primicerios *corr. ex* primicenos *M.* **10** Nec] *ita h,* nec *M.* **13** baptizatus *sine interp. sequ. M.* **14** Gallicanus dux *C.* Constantia regina *C.* **15** Iohannes & paulus *C.* **16** Tedet – Gallicane *init. litt. et maiusculis scr. M.*

paci · nostrisque temere praeceptis reluctari · bello protrahis lacessere · cum pro tui strenuitate · id tibimet exercicii · ad defensionem non ignores patriae servari · [I 1]

GALLICANUS · Tuis enim · o auguste Constantine obnixe manibus pedibusque · semper insistens obsequiis · tui augustalis excellentię votis · effectu conabar respondere operis · nec umquam me subtraxi faciendis · 2

CONSTANTINUS · Si opus est monitu · nam memorię fixum teneo · unde monui · hortando potius quam arguendo · morem ut geras · 3

GALLICANUS · Id ipsum etiam nunc studebo ·

CONSTANTINUS · Gaudeo ·

GALLICANUS · Nec amore vitę · abduci potero · quin peragam · quę iubes ·

CONSTANTINUS · Placet · tuique in me benivolentiam laudo ·

GALLICANUS · Sed summa inplende intentio servitutis · summam expetit recompensationem mercedis · 4

CONSTANTINUS · Nec iniuria ·

GALLICANUS · Difficultas enim cuiuscumque laboris tolerabilius fertur · si haut incerta accipiendę spe mercedis relevatur ·

CONSTANTINUS · Patet ·

fol. 81r GALLICANUS · Unde ineundi pręmium periculi · mihi

1 preceptis temere *C.* relutari *C.* 2 exercicii] *ita m,* exercii *M.* 4 GALLICANUS] respondit *add. supr. lin. man. post. M.* · o · auguste *interp. M.* constancie *C.* 6 tui] *ita C,* tuę *M.* augustialis *C.* 7 substraxi *C.* 8 CONSTANTINUS] dicit *add. supr. lin. man. post. M.* 9 tenebo *C.* 10 geras] *ita m, corr. ex* geres *M,* geres *C.* 11 GALLICANUS] dicit *add. supr. lin. man. post. et ita passim in sequentibus M.* etiam ipsum *C.* studebo nunc *M.* 15 beniuolentiam in me *C.* 17 Sed *deest C.* 21 haud *C.* 23 Patet *sine interp. sequ. M.*

queso proponas in presenti · quo inpigre dimicans sudore [I 4]
non frangar certaminis animatus spe retributionis ·
CONSTANTINUS · Quod dignissimum omnique videba- 5
tur senatui gratissimum · numquam tibi negabam aut ne-
5 gabo prȩmium · scilicet nostrae adeptionem familiarita-
tis · prȩcipuȩque inter palatinos dignitatis ·
GALLICANUS · Fateor · sed id nunc haut molior ·
CONSTANTINUS · Si aliud expetas · oportet proferas ·
GALLICANUS · Immo aliud ·
10 CONSTANTINUS · Quid?
GALLICANUS · Si presumo dicere · 6
CONSTANTINUS · Et bene ·
GALLICANUS · Irasceris ·
CONSTANTINUS · Nullo modo ·
15 GALLICANUS · Certe ·
CONSTANTINUS · Non ·
GALLICANUS · Moveberis indignatione ·
CONSTANTINUS · Ne id vereare ·
GALLICANUS · Dicam · iussisti · Constantiam tui na- 7
20 tam · amo ·
CONSTANTINUS · Et merito · decet ut herilem filiam ·
honorabiliter ames · et amabiliter honores ·
GALLICANUS · Interrumpis dicenda ·
CONSTANTINUS · Non interrumpo ·
25 GALLICANUS · Ipsamque si tui annuerit pietas despon-
sare gestio ·

1 propone *C.* 3 videbatur *deest C.* 4 negabam] negaui *C.* 7 Fateor *sine interp. sequ. M.* nunc haut *sign. invert. M,* haut nunc *m,* nunc haud *C.* 19 iusisti *M.* 21 decet] enim *add. man. post. in marg. M,* decet enim *m.* 24 interrumpo *corr. ex* irrumpo *M,* irrumpo *C.* 25 tua annuerit pietas *M,* annuerit tui pietas *C.* 26 gestio] cupio *C.*

CONSTANTINUS · Non leve appetit prȩmium · sed summum · vobisque o principes ante insolitum · [I] 8

GALLICANUS · Eh heu · dedignatur · prȩscivi · Instate queso mecum precibus ·

5 PRINCIPES · Decet tuam imperator egregie dignitatem · ut pro sui reverentia hoc illi non abnuas · *

CONSTANTINUS · Si abnuo quantum ad me · sed subtili primum inquisitione reor investigandum · an filia praebeat assensum ·

10 PRINCIPES · Consequens est ·

fol. 81ᵛ CONSTANTINUS · Ibo · ipsamque si | velis · Gallicane pro hac re appellabo ·

GALLICANUS · Ac libens ·

CONSTANTIA · Dominus imperator adit nos solito tri- II 1 *
15 stior · quid velit vehementer admiror ·

CONSTANTINUS · Huc ades o filia Constantia · paucis te volo ·

CONSTANTIA · Assum domine mi · iube quid velis ·

CONSTANTINUS · Anxietate cordis fatigor · gravique tri-
20 sticia afficior ·

CONSTANTIA · Ut te venientem adspexi · tristiciam deprehendi · et licet causam ignorarem · conturbata pertimui ·

CONSTANTINUS · Tui causa contristor ·

25 CONSTANTIA · Mei?

1 precium *C.* 3 Eheu *C.* 4 mecum *(cum add.)* queso *C.* prȩcibus *M.* 5 PRINCIPES] P· ; rincipes dicunt *add. supr. lin. man. post. M.* 8 filium *C!* 14 nos *deest C.* 20 afficior *sine interp. sequ. M.* 21 aspexi *C.* 22 licet] quamuis *C.* ignorassem *C.*

CONSTANTINUS · Tui · [II 1]
CONSTANTIA · Expaveo · Quid est domine mi?
CONSTANTINUS · Piget dicere · ne contristeris ·
CONSTANTIA · Multo magis contristor · si non dixeris ·
5 CONSTANTINUS · Gallicanus dux cui frequens successus 2 triumphorum · primum inter principes dignitatis adquisivit gradum · cuiusque ope sepissime indigemus · ad defensionem patrię ·
CONSTANTIA · Quid ille?
10 CONSTANTINUS · Desiderat te sponsam · habitum ire ·
CONSTANTIA · Me?
CONSTANTINUS · Te ·
CONSTANTIA · Malim mori · 3
CONSTANTINUS · Prescivi ·
15 CONSTANTIA · Nec mirum · quia tuo consensu · tuo permissu · servandam deo virginitatem devovi ·
CONSTANTINUS · Memini ·
CONSTANTIA · Nullis enim suppliciis umquam potero compelli · quin inviolatum custodiam sacramentum pro-
20 positi ·
CONSTANTINUS · Convenit · Sed hinc coartor nimium · 4 quia si quod debet fieri · paterno more te in proposito
fol. 82r permansum ire consensero · haut | leve damnum patiar in publica re · Si autem quod absit renitor · ęternis crucian-
25 dus poenis subiacebo ·
CONSTANTIA · Si enim divinum desperarem adesse au-

1 Tui *sine interp. sequ. M.* 4 CONSTANTIA – CONSTANTINUS *desunt C.* 5 Callicanus *M, m.* 6 triumph& *C.* 13 mallim *M.* 15 tuo[2]] *ita M,* tuoque *C.* 16 deo seruandam *C.* 19 quin *corr. ex* quim *M.* custodiam inuiolatum propositi sacramentum *C.* 22 quod] quid *C.* 24 re publica *C.* penis cruciendus subiaceo *C.* 26 adesse *deest C.*

xilium mihi quam maxime · mihi potissimum esset dolendum · [II 4]

CONSTANTINUS · Verum ·

CONSTANTIA · Nunc autem nullus relinquitur locus mesticię pręsumenti de domini pietate ·

CONSTANTINUS · Quam bene dicis mea Constantia ·

CONSTANTIA · Si meum digneris captare consilium · 5 praemonstrabo qualiter utrumque evadere possis damnum ·

CONSTANTINUS · O utinam ·

CONSTANTIA · Simula prudenter peracta expedicione · ipsius votis te satisfacturum esse · Et ut meum concordari credat velle · suade · quo suas interim filias · Atticam · ac Artemiam · velut pro solidandi pignore amoris mecum mansum ire · meosque primicerios · Iohannem et Paulum · secum faciat iter arreptum ire ·

CONSTANTINUS · Et quid · si victor revertetur mihi erit agendum?

CONSTANTIA · Reor omnipatrem prius esse invocandum · quo ab huiusmodi intentione Gallicani revocet animum ·

CONSTANTINUS · O filia filia · quantum dulcedine tuę 6 alloquutionis amaritudinem dulcorasti mesti patris · adeo · ut pro hac re nulla post hęc movear sollicitudine ·

CONSTANTIA · Non est necesse ·

1 mihi potissimum] *ita M.*, potissimumque *C.* 4 autem] enim *C.* 5 pietate *sine interp. sequ. M.* 7 captare digneris *C.* consilium *(corr. ex* conscilium*) M.* 8 praemonstrabo · *(*p̄ *expunx. man. post.) M,* prestabo *C.* qualiter] quomodo *C.* posses *C.* periculum uel dampnum *C.* 13 uelit pro solo dandi *C.* 17 CONSTANTINUS *deest C.* Et – revertetur] et si uictor reuertitur *(in ras.)* quid *C.* 19 CONSTANTIA *deest C.* 20 ob *C.* 23 dulcorasti *deest C.*

CONSTANTINUS · Eam et Gallicanum lęta promissione circumveniam · [II 6]

CONSTANTIA · Vade in pace mi domine ·

---

fol. 82ᵛ GALLICANUS · Curiositate fran|gar · o principes · antequam quid mis senior augustus tam diu cum herili filia agat experiar · **III** 1*
5

PRINCIPES · Suadet illi · velle quę desideras ·

GALLICANUS · O utinam praevaleret suasio ·

PRINCIPES · Forsitan pręvalebit ·

10 GALLICANUS · Silete · Quiescite · Augustus revertitur · non ut abiit obscuro · sed vultu admodum sereno · 2

PRINCIPES · Bona fortuna ·

GALLICANUS · Si enim ut dicitur speculum mentis est facies · serenitas faciei mansuetudinem forte designat
15 eius animi ·

PRINCIPES · Ita ·

CONSTANTINUS · Gallicane · **IV** 1

GALLICANUS · Quid dixit?

PRINCIPES · Procede procede · vocat te ·

20 GALLICANUS · Dii propicii favete ·

CONSTANTINUS · Perge securus Gallicane ad bellum · reversus enim accipies quod desideras pręmium · 2

4 frangor *C, h, m.* **5** mis *deest C.* **12** bona *M.* **18** *Puncto simpl. interr. claud. M.* **20** propici *C.* **21** perge ad *C.* **22** reversus] *ita C, h;* reuersurus *M, m.* acipies premium quod desideras *C.*

GALLICANUS · Illudisne me? [IV 2]
CONSTANTINUS · Si illudo ·
GALLICANUS · Me felicem · si unum scirem ·
CONSTANTINUS · Quid unum?
5 GALLICANUS · Eius responsum ·
CONSTANTINUS · Filiae?
GALLICANUS · Ipsius ·
CONSTANTINUS · Iniusta satis ratio in hac re verecundę 3
virginis responsum querere · Consequentia autem rerum ·
10 monstrabit eius assensum ·
GALLICANUS · Si hunc scirem responsum flocci facerem ·
CONSTANTINUS · Licet experiare ·
GALLICANUS · Exopto ·
15 CONSTANTINUS · Sui primicerios Iohannem et Paulum · 4
tecum commoratum iri decrevit usque in diem nuptiarum ·
GALLICANUS · Quam ob causam?
CONSTANTINUS · Quo illorum ex confabulatione ipsius
20 vitam · mores · consuetudinem · possis praenoscere ·
GALLICANUS · Bonum consilium · mihique quam maxime placitum ·
CONSTANTINUS · Scilicet tui filias secum versa vice de- 5
fol. 83ʳ siderat interim | mansum ire · quatinus illarum per soda-
25 litatem tibi fiat morigera ·
GALLICANUS · Euax · euax · Omnia meis respondent votis ·

2 Si *deest C.* **3** scissem *C.* **4** *Puncto simpl. interr. claud. M.* **11** hoc *C.* **14** Exopto] Expeto *C, sine interp. sequ. M.* **15** Si *C.* paulum et iohannem *C.* **16** ire decreuerit *C.* **20** posses *C.* prẹnosscere *M.* **21** mihique] que *deest C.* **22** placidum *C.* **23** filias enim *C.* **24** soliditatem *C.*

CONSTANTINUS · Fac ut adducantur cicius · [IV 5]
GALLICANUS · Statis milites? currite · abite · adducite filias ad obsequium sui dominę ·

MILITES · Assunt illustres Gallicani natę · tuę familiari- V 1*
5 tati · hera Constantia pro sui pulchritudinis · sapientię · et probitatis perspicuitate satis apte ·
CONSTANTIA · Placet · Introducantur honorifice · 2
Amator virginitatis · et inspirator castitatis Christe · qui me preci-
10 bus martiris tuę Agnetis · a lepra pariter corporis et ab errore eripiens gentilitatis invitasti ad virgineum tui genitricis thalamum · in quo tu manifestus es verus deus retro exordium natus a deo patre · idemque verus homo ex matre natus in tempore · te veram et coeternam patris sa- 3
15 pientiam · per quam facta sunt omnia · et cuius dispositione consistunt et moderantur universa · suppliciter exoro · ut Gallicanum · qui tui in me amorem surripiendo conatur extinguere · post te trahendo · ab iniusta intentione revocare suique filias digneris tibi assignare
20 sponsas · et instilla cogitationibus earum tui amoris dulcedinem · quatinus execrantes carnale consortium · pervenire mereantur ad sacrarum societatem virginum ·
fol. 83v ARTEMIA · Ave Constantia imperialis hera · *
CONSTANTIA · Salvete sorores · Attica · et Artemia · 4

3 suę *C.* 4 illustres] illius *C.* 5 hera] ó *supr. lin. M.* sapientia *C.* 7 Introducantur] *corr. ex* Introducuntur *M,* introducantur *C.* 9 o xp̄e *C.* 11 tui] tuę *C.* 13 idemque] *ita C, h (corr. ex* idque*?); corr. ex* id ē quę *man. post. M;* idque *m.* 14 Te *M.* patri *CM.* 15 et] cum *add. C.* 17 surripiendo/ *M.* 21 ex creantes *mut. in* ex[e]creantes *C.* 22 uirginum *sine interp. sequ. M.* 23 [h]era *M.* 24 artemia et attica *C.*

State · state · ne procidatis · sed libate mihi osculum [V 4]
amoris ·

ARTEMIA · Tuum ad obsequium domna alacri mente
venimus · tuę dicioni · summa devotione nos subicimus ·
5 tantum ut tua nobis habundet gratia ·

CONSTANTIA · Unum dominum habemus in cęlis · cui 5
debetur devotio nostrę servitutis · in cuius fide et dilec-
tione condecet nos servata corporis integritate unanimi-
ter perseverare · ut mereamur aulam cęlestis patrię cum
10 palma virginitatis introire ·

ARTEMIA · In nullo reluctamur · sed tis in omnibus 6
pręceptis parere nitimur · praecipue in agnitione veritatis ·
et servandę proposito virginitatis ·

CONSTANTIA · Congrua satis responsio · vestraque inge-
15 nuitate condigna · nec dubito quin divinę inspiratione
gratiae ad credendum estis praeventae ·

ARTEMIA · Qui posset fieri ut servientes idolis sanum
saperemus · sine illustratione supernę pietatis?

CONSTANTIA · Stabilitas vestrę fidei · spem mihi excitat 7
20 de credulitate Gallicani ·

ARTEMIA · Admoneatur tantum · haut dubium quin
credat ·

CONSTANTIA · Advocentur · Iohannes et Paulus ·

---

2 amoris *sine interp. sequ. M.* 3 domna *M,* dña *C, h;* domina *m.* 6 dñm *M,* dm̄ *C.* 9 celestis patrię aulam *C.* 11 reluctamur *corr. ex* reluctatur *(?) M.* tis] testis *mut. in* testes *M;* testes *h, m;* tuam *C.* 13 seruando *C.* 16 p̄uentę *M,* p̄uente *C.* 17 sanum *deest quinque litt. erasis C.* 21 quin credat] *ita C, m;* credat quin *(sign. invert.) M.* 23 Ad ducantur *C.*

IOHANNES · Presto sumus hera · quid vocasti? VI

fol. 84r CONSTANTIA · Ite citi ad Gallicanum | et inherentes eius lateri · suadete illi paulatim mysterium nostrę fidei · si forsan illum deus dignetur per vos lucrari ·

5 PAULUS · Deus det proventum · nos adhibemus frequentationes hortamentorum ·

GALLICANUS · Oportune advenitis Iohannes et Paule · VII 1* suspensis diu animis vestrum praestolabar adventum ·

IOHANNES · Ut vocem iubentis domne hausimus · tibi 10 ad obsequendum convolavimus ·

GALLICANUS · Multo magis vestro quam aliorum delector obsequio ·

PAULUS · Nec inmerito · nam vulgo dicitur · quod dilecti socius et ipse sit dilectus ·

15 GALLICANUS · Verum ·

IOHANNES · Dilectio mittentis herae reconciliatur · nos familiaritati tuę ·

GALLICANUS · Non nego · Convenite · congregamini 2 tribuni et centuriones · omnesque mei iuris milites · as- 20 sunt Iohannes et Paulus · quorum detinebar absentia ne pergerem ·

TRIBUNI · Praecede · collectim comitantur ·

1 Presto *corr. ex* Presti *M.* sumus · era *interp. M.* quid] *ita C;* quos *M (corr. ex* quod*), h, m. Puncto simpl. interr. claud. M.* 3 saudete *C.* 4 forsitan *C.* dš *M,* dñs *C.* lucrari] *ita C,* luctari *corr. in* lucrari *M.* 9 dñe *C, h;* domine *m.* 13 Nec] Hec *C,* Non *M (in ras.), h, m.* dilectis ocius *M, h, m.* 16 erę *M,* here *C.* 17 familiaritate *C.* 19 tribuni – milites] turbini omnes mei uiri milites *C.* 22 Praecede *sine interp. sequ. M.* collecti *C.* comitantur] mitan *in ras. M*; cōmitantur *C.*

GALLICANUS · Capitolium · et templa · primum nobis [VII 2]
intranda · numinaque deorum placanda sunt ritu sacrificiorum · quo prosperentur · exitum pugnę ·

TRIBUNI · Necesse ·

5 IOHANNES · Subtrahamus nos interim ·

PAULUS · Decet ·

IOHANNES · En dux egreditur ascendamus equos · offeramus nos obviam · VIII

PAULUS · Ac cito ·

10 GALLICANUS · Unde venitis? Ubi fuistis?

IOHANNES · Stravimus · sarcinulas praemisimus · quo
fol. 84v expediti · tuum iter | possimus comitari ·

GALLICANUS · Placet ·

O tribuni pro Iuppiter aspicio IX 1*
15 innumerabilis exercitus legiones · variis armorum instrumentis horribiles ·

TRIBUNI · Hercle hostes ·

GALLICANUS · Resistamus fortiter · et congrediamur viriliter ·

20 TRIBUNI · Si est utilis nostri congressio cum tantis ·

GALLICANUS · Et quid mavultis?

TRIBUNI · Submittere colla ·

GALLICANUS · Nolit hoc Apollo ·

1 nobis *deest C.* **3** exitum pugnę] cicius exitus *(supr. lin.)* propugne *C.* **7** ęquos *M.* **12** iter – comitari] possimus inter commitari *C.* comitari] ri *in ras. (sine interp. sequ.) M.* **15** innumerabiles *C, h, m.* legiones · uariis *interp. C*; · legiones uariis *interp. M.* **17** hostes *sine interp. sequ. M.* **20** Si est] Et sicut *C.* **21–22** *desunt C.*

TRIBUNI · Edepol faciendum · en undiquesecus circumdamur · vulneramur · perimimur · [IX 1]

GALLICANUS · Eh heu · quid erit cum tribuni me spernunt · se tradunt?

5 IOHANNES · Fac votum deo cęli · te christianum fieri · et vinces · 2

GALLICANUS · Voveo · et opere implebo ·

HOSTES · Heus rex Bradan · sperande fortuna victorię alludit nos · en dextrę languescunt · vires fatiscunt · sed 10 et inconstantia pectoris · cogit nos discedere ab armis · *

BRADAN · Quid dicam ignoro · ipsa quam toleratis me urget passio · Restat ut nos duci tradamus ·

HOSTES · Alias non evademus ·

BRADAN · Dux Gallicane · noli in nostri perniciem se- 15 vire · sed parce et utere ut libet nostra servitute · 3

GALLICANUS · Ne trepidetis · ne formidetis · sed datis obsidibus facite vos tributarios imperatoris · et vivite beate sub Romana pace ·

HOSTES · Tuo arbitrio pendet · quot qualesque accipere 20 quantumque pondus solvendi census nobis velis imponere ·

GALLICANUS · Solvite procinctum mei milites · nemo *fol. 85r* ledatur · nemo perimatur · amplectamur foe|deratos · quos publicos insectabamur inimicos ·

1 Edepol] Et de pollo *C!* faciendum *sine interp. sequ. M.* 6 uinces *sine interp. sequ. M.* 7 opere sperandus inplelo *C.* 8 heu *C.* bradan *C,* bradanus *M.* 9 alludit] *ita C, m; mut. in* illudit *M.* dexte *C.* languescunt] *ita C;* languuescent *M;* languescent *h, m.* fatiscunt] *ita C;* fatiscent *M, h, m.* 10 et *deest C.* 15 seruitute *sine interp. sequ. M.* 18 beatę *M,* beati *C.* 19 pendet arbitrio *C.* 24 publicos] *corr. ex* bublicos *M, corr. ex* pubicos *C.* insectamur *C.*

IOHANNES · Quanto magis valet intenta precatio · [IX] 4
quam humana praesumptio ·
GALLICANUS · Verum ·
PAULUS · Quam efficax his aderit superna miseratio ·
5 quos deo commendat humilis devotio ·
GALLICANUS · Perspicuum ·
IOHANNES · Sed quod vovetur in perturbatione · sol-
vendum est in tranquillitate ·
GALLICANUS · Assentio · Unde quantocius baptizari ge-
10 stio · ac reliquum vitę in dei obsequio vacare ·
PAULUS · Iustum ·

GALLICANUS · Ecce in introitu nostro proruunt Romani X
urbicolę · insignia laudum ferentes ex more ·
IOHANNES · Consequens est ·
15 GALLICANUS · Sed nec nostrę nec deorum fortitudini ·
titulus debetur triumphi ·
PAULUS · Nullo modo sed vero deo ·
GALLICANUS · Unde templa arbitror transeunda ·
IOHANNES · Recte arbitraris ·
20 GALLICANUS · Et limina apostolorum · supplici confes-
sione esse intranda ·
PAULUS · O te tali opinione felicem · nunc testaris te
verum christicolam ·

CONSTANTINUS · Admiror o milites · cur Gallicanus XI
25 tam diu se subtrahat nostris conspectibus ·
MILITES · Ut urbem intravit · gressum ad domum

1 deprecatio *mut. ex* predicatio *C.* **9** quantotius *(corr. ex* qua totius*)* batizari *M,* baptizari quantocius *C.* **10** reliquum vitę] reliquvm tempus uitę meę *C.* obsequio dei *C.* **13** urbisule *C.* **20** subplicatione · et confessione *C.* **23** ueram *C.* cristicolam *M.*

sancti Petri concite tetendit · terratenusque prostratus · [XI]
pro recepta victoria grates impendit altithrono ·

CONSTANTINUS · Gallicanus?

MILITES · Ipse ·

5 CONSTANTINUS · Incredibile ·

MILITES · En accedit · ipsum potes sciscitari ·

CONSTANTINUS · Diu te Gallicane sustinui · ut modum **XII** 1
exitumque experirer proelii ·

GALLICANUS · Dicam digestim ·

fol. 85ᵛ 10 CONSTANTINUS · Hoc interim parvi pendo · quo edisseras quod magis exopto ·

GALLICANUS · Quid est?

CONSTANTINUS · Cur iturus deorum templa · et revertens intrares apostolorum tecta ·

15 GALLICANUS · Rogas?

CONSTANTINUS · Curiose ·

GALLICANUS · Expono ·

CONSTANTINUS · Exopto ·

GALLICANUS · Fateor sacratissime imperator · iturus ut 2
20 obiecisti sacella intravi · meque demoniis et diis supplex commisi ·

CONSTANTINUS · Hoc Romanis antiquitus fuit in more ·

GALLICANUS · Mala consuetudo ·

CONSTANTINUS · Pessima ·

2 recepta *corr. ex* receptus *M.* altithrono rependit *C.* 7 sustinui] expectaui *C.* 8 experier *C.* 9 digestim *sine interp. sequ. M.* 12 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 17 Expono · CONSTANTINUS *desunt C.* 19 GALLICANUS *deest C.* 21 commendaui *C.* 22 in *deest C.*

GALLICANUS · Quo peracto tribuni cum suis legionibus [XII] 3
advenere meque euntem undiquesecus sepsere ·
CONSTANTINUS · Pomposo admodum apparatu egrediebaris ·
5 GALLICANUS · Promovimus · hostes impegimus · commisimus · victi sumus ·
CONSTANTINUS · Romani victi?
GALLICANUS · Penitus ·
CONSTANTINUS · O res dira omnibusque sęclis inaudita ·
10 GALLICANUS · Ego quidem nefanda sacrificia iteravi · 4
nec aderant qui adiuvarent dii · sed invalescente congressione plurimi ex nostris interiere ·
CONSTANTINUS · Confundor audiendo ·
GALLICANUS · Tandem tribuni me spreverunt · se tradi-
15 derunt ·
CONSTANTINUS · Hostibus?
GALLICANUS · Ipsis ·
CONSTANTINUS · Ah · quid fecisti? 5
GALLICANUS · Quid possem facere · nisi fugam cap-
20 tare?
CONSTANTINUS · Non ·
GALLICANUS · Etiam ·
CONSTANTINUS · Quantis tunc angustiis urgebatur · constantia tui pectoris ·
25 GALLICANUS · Maximis ·
CONSTANTINUS · Et quomodo evasisti?
GALLICANUS · Mis familiares socii Iohannes et Paulus 6
suaserunt mihi · votum fecisse creatori ·

5 prelia comisimus *C.* 6 sumvs *sine interp. sequ. M.* 8 Penitus] Feriebamur *C.* 9 omnibusque] que *deest C.* 14 se] seque *C.* 18 Ah *deest C.* 19 captare] capere *C.* 23 urguebatur *C.* 27 Mis] Mi *cum compendio (*= Mei*) C.* socii *deest C.*

CONSTANTINUS · Salubre · [XII 6]

fol. 86r GALLICANUS · Experiebar · ut os ad vovendum aperui · cęleste iuvamen sensi ·

CONSTANTINUS · Quo pacto?

5 GALLICANUS · Apparuit mihi iuvenis procerę magnitudinis · crucem ferens in humeris et praecepit · ut stricto mucrone illum sequerer · 7

CONSTANTINUS · Quisquis ille erat · cęlitus missus fuerat ·

10 GALLICANUS · Comprobavi · nec mora astiterunt mihi a dextra levaque milites armati · quorum vultum minime agnovi promittentes auxilium sui ·

CONSTANTINUS · Cęlestis milicia ·

GALLICANUS · Non ambigo · At ubi sequens praecedentem securus inter medias hostium ingrederer acies · perveni ad regem eorum nomine Bradan · qui mox incredibili metu correptus · pedibusque meis provolutus · se cum suis subdidit · professus censum principi Romani orbis finetenus solvendum · 8 15

20 CONSTANTINUS · Grates prosperitatis auctori · qui in se sperantes non patitur confundi ·

GALLICANUS · Experimento didici ·

CONSTANTINUS · Vellem experiri · quid deinde profugi actitarent tribuni · 9

25 GALLICANUS · Maturabant reconciliari ·

CONSTANTINUS · Recepistin gratis?

8 Quis *C.* fuerat *sine interp. sequ. M.* **15** aggrederer *C.* **16** bradan *C,* brandan *M.* **18** romane urbis *C.* **22** Experimento] *corr. ex* Experto *M,* Expimento *m,* Experto *C.* **24** actitarent] *corr. ex* accitarent *M,* accitarent *C.* **26** Recepisti/ne *C;* Recepisti *h, m.*

GALLICANUS · Ego illos gratis · qui me periclis · qui se [XII 9] inimicis? Haut ita ·

CONSTANTINUS · Et qui?

GALLICANUS · Proposui promerende gratiae precium ·

5 CONSTANTINUS · Quale?

GALLICANUS · Videlicet sectam christicolarum · quam qui elegerit · gratiam susciperet priorem honoremque ampliorem · qui vero spreverit · gratia simul privaretur et milicia ·

fol. 86[v] 10 CONSTANTINUS · Recta propositio tuaque auctoritate condigna ·

GALLICANUS · Ego quidem baptismate imbutus · totum 10 me deo subiugavi · in tantum ut tuę quam prae omnibus dilexi · abrenuntiarem filię · quo abstinens coniugii · pla-

15 cerem virginis proli ·

CONSTANTINUS · Accede propius · ut irruam in tuos amplexus · Nunc quidem · nunc cogor tibi detegere · quod ad tempus studebam velare ·

GALLICANUS · Quid?

20 CONSTANTINUS · Id videlicet quod mea tuęque natę · eidem quam elegisti · student religioni ·

GALLICANUS · Gaudeo ·

CONSTANTINUS · Tantoque servandę virginitatis flagrant amore · ut nec minis · nec blandimentis revocari possunt

25 ab intentione ·

1 illas *M.* periclis] *ita C, corr. ex* periclas *M (sine interp. sequ.),* periculis *m.* **4** precium] *ita C, M;* premium *h, m.* **5** *Puncto simpl. interr. claud. M.* **7** elegerit gratiam · *interp. M.* susceperit *C.* **8** spreverit] *ita C;* spreuerint *M, h, m.* priuetur *C;* priuarentur *h, m.* **9** milicia *sine interp. sequ. M.* **10** tuęque auctoritati *C.* **14** coniugi *C.* **18** ualere *C.* **19** *Puncto simpl. interr. claud. M.* **20** videlicet] quidem *C.* **21** ęlegisti *M.* **24** blandiciis *C.* possint *C, h, m.*

GALLICANUS · Perseverent exopto · [XII 10]

CONSTANTINUS · Introeamus in palatium · ubi ipsę commorantur · 11

GALLICANUS · Praecede · sequar ·

5 CONSTANTINUS · Ecce occurrunt · cum augusta Helena · mei genitrice gloriosa · omnibusque lacrimę fluunt prae gaudio · *

GALLICANUS · Vivite feliciter o sanctę virgines · perseverantes in dei timore · decusque virginitatis inviolatum 10 servate · quo dignae inveniamini · amplexibus regis aeterni · XIII 1

CONSTANTIA · Eo liberius servabimus · quo te non contraluctari sentimus ·

GALLICANUS · Non contraluctor · non renitor · non pro- 15 hibeo · sed vestris in hoc votis libens concedo · in tantum ut nec te o mea Constantia · quam haut segniter emi vitę pretio · aliud quam coepisti velle cogo · 2

CONSTANTIA · Hęc mutatio · dextrę excelsi ·

fol. 87r GALLICANUS · Si in melius mutatus non essem| tuę 20 promissioni assensum non praeberem ·

CONSTANTIA · Amicus pudicicię virginalis · et fautor totius bonę voluntatis · qui te ab iniusta intentione revoca- 3

2 in *deest C.* ipsę *deest C.* 4 Praecede] Procede *C, sine interp. sequ. M.* 5 ʰęlena *M.* 6 lacrimis *C.* 8 felices *C.* perserantes *C.* 10 reseruate *C;* custodite *h, m.* digne *C, M.* amplexus *C;* in amplexibus *h, m.* 13 sentimus *sine interp. sequ. M.* 14 prohibebo *C.* 16 o *deest C.* 17 pretio *sine interp. sequ. M.* cępisti *M,* cepisti *C.* cogo] *ita C; mut. in* cogam *man. post. M;* cogam *h, m.* 18 dexte *C.* 19 in *deest C.* 21 pudicie *C.* 22 intentione] *ita C, m; corr. ex* cogitatione *M.*

vit meamque virginitatem sibi signavit · dignetur nos · [XIII 3]
pro corporali discidio · quandoque associatum ire in
ęterno gaudio ·
GALLICANUS · Fiat · Fiat ·

---

5 CONSTANTINUS · Cum vinculum Christi amoris · in XIV 1*
unius nos societate coniungat religionis · decet ut quasi (XIII 4)
gener augustorum · honorifice nobiscum habites · intra
palatium ·
GALLICANUS · Nulla magis est vitanda temptatio ·
10 quam oculorum concupiscentia ·
CONSTANTINUS · Refragari nequeo ·
GALLICANUS · Unde non expedit me frequentius virginem intueri · quam prae parentibus · prae vita · prae
anima a me scis amari ·
15 CONSTANTINUS · Ut libet ·
GALLICANUS · Ecce habes quadruplicatum exercitum 2 (XIII 5)
Christo favente · et me laborante · Patere ut nunc militem imperatori · cuius iuvamine vici · et cui debeo quicquid feliciter vixi ·
20 CONSTANTINUS · Ipsum decet laus et iubilatio · ipsi debet famulari · omnis eius plasmatio ·
GALLICANUS · Sed illi potissimum · quis in necessitate
largius praestat auxilium ·

3 gaudio *corr. ex* gaudia *M.* 4 Fiat[2]] *sine interp. sequ. M.* 5 in – coniungat] nos coniungit in unius societate *C.* 6 societate] *ita C, m;* sociate *M.* 9 est] ÷ *M, deest C.* 10 oculet *(*e *in ras.) C.* 12 expetit *C.* 13 parentib; *sine interp. sequ. M.* 14 scis a me *C.* 16 exitum *C.* 17 patere *M.* 21 eius plasmatio] *ita C,* creatura *M.* 22 qui *C.* 23 largus *C.* prestet *C.*

CONSTANTINUS · Ut asseris · [XIV 2]

GALLICANUS · Partem possessionis quę ad filias pertinet excipio · partemque ad susceptionem peregrinorum mihi reservo · de reliquo proprios servos libertate donatos 5 ditari · pauperumque necessitates volo sustentari · 3 (XIII 6)

fol. 87ᵛ CONSTANTINUS · Prudenter possessa disponis · nec | expers fies aeternę retributionis ·

GALLICANUS · Me ipsum etiam sancto viro Hilariano in urbe Ostensi · individuum sodalem ardeo associatum iri · 10 quo ibidem reliquum vitę in dei laude pauperumque vacem susceptione · 4 (XIII 7)

CONSTANTINUS · Simplex esse cui semper est posse · sinat tui esse prosperis successionibus iuxta sui velle vigere · et perducat te ad gaudia ętenitatis · qui regnat et 15 gloriatur in unitate trinitatis ·

GALLICANUS · Amen ·

IULIANUS IMPERATOR · CONSULES · MILITES ·

IULIANUS · Incommodum satis nostro probatur esse imperio · quod christiani libero utuntur arbitrio · et iactant se leges debere sequi · quas accipiebant temporibus 20 Constantini · I 1*

CONSULES · Turpe si pateris ·

4 reliquo *corr. ex.* relinquo *M.* libertati *C.* **6** ne *C.* **8** etiam *deest C.* Hylarino *m,* hilario *C,* hylario *h.* **9** Ostensi] *ita C, M;* ostiensi *m.* iri – ibidem] ire · et ibi *C.* **10** uacare *C.* **11** susceptione *sine interp. sequ. M.* **13** esse – sui *desunt C.* **14** gaudium *C.* **16** amen *sine interp. sequ. M.* **17** IVLIANUS · *interp. M.* IMPERATOR *deest C.* MILITES] Iohannes · Pavlus · Terentianus *C.* **18** IULIANUS ·] IV · *M (init. litt.),* Ivlius *C.* uestro *C.*

IULIANUS · Non patiar · [I 1]

CONSULES · Decet ·

IULIANUS · O milites accingimini · et nudate christicolas possessionibus propriis obiciendo sententiam Christi dicentis · Qui non renuntiaverit · omnibus quę possidet · non potest meus esse discipulus · 2

MILITES · In nobis non erit mora ·

CONSULES · En milites revertuntur · II

IULIANUS · Secundusne vester reditus?

MILITES · Secundus ·

IULIANUS · Et cur tam citus?

MILITES · Dicemus · Castella · quę Gallicanus sibi retinuit · decrevimus intrasse · tuęque servituti usurpasse · sed si quis ex nostris pedem admovit · leprosum seu inerguminum se esse cognovit ·

fol. 88r IULIANUS · Revertimini ipsumque | compellite · vel patriam deserere · vel idolis sacrificare ·

GALLICANUS · Ne fatigemini o milites · inutilia suadendo · quia in ęstimatione aeternę vitę flocci facio · quicquid habetur sub sole · Unde patriam desero · et exul III

4 obicientes *C.* Christi] domini *C.* **5** dicentes *C.* Qui non] Nisi quis *C.* **6** non – discipulus] N · P · T · M · V · E · S · D · P · L · *M.* **7** In – erit] Non erit in nobis *C.* **9** *Ante* uester *add.* est *supr. lin. M.* **10** *An ironice?* Si *(=* non*)* secundus *coni. v. Winterf.* **11** Et *deest C.* **12** Dicemvs *sine interp. sequ. M.* **14** leprosum – cognovit] *ita C,* lęprosus seu inerguminus · est factus · *M.* **17** sacrificare] *ita M, m;* immolare *C, h.* **18** fatigamini *C.* milites *sine interp. sequ. M.* **20** habent *C.* inde *C.*

pro Christo Alexandriam peto optans ibidem coronari [III]
martirio ·

MILITES · Gallicanus ut iussisti patria · expulsus Alex- IV
andriam petiit · ibique a Rautiano comite tentus gladio
5 est peremptus ·
IULIANUS · O bene factum ·
MILITES · Sed Iohannes et Paulus · te fastidiunt ·
IULIANUS · Quid agunt?
MILITES · Libere vagant · thesauros Constantię erogant ·
10 IULIANUS · Advocentur ·

MILITES · Assunt · V 1
IULIANUS · Non nescio vos Iohannes et Paule a cuna-
bulis · augustorum mancipatos fuisse obsequio ·
IOHANNES · Fuimus ·
15 IULIANUS · Unde decet · ut meo inherentes lateri · ser-
viatis in palatio · in quo nutriti estis a puero ·
PAULUS · Haut serviemus ·
IULIANUS · Mihin · non servietis?
IOHANNES · Diximus ·
20 IULIANUS · Num non videor augustus? 2
PAULUS · Sed dissimilis prioribus ·
IULIANUS · In quo?

4 Rautiano] *corr. ex* rautiom *M*, rauciano *C*. 7 fastidiunt] *corr. ex* fati diunt *M*, fastiunt *C*. 8–9 *desunt C*. 9 thesauros *corr. ex* theauros *M*. 13 efuisse *C*. 15 adherentes *C*. 16 in quo] ubi *C*. a puero] in puericia *C*. 18 Michi *C*, *h*, *m*. 19 IOHANNES · Diximus · IULIANUS *desunt C*.

IOHANNES · Religione et merito · [V 2]
IULIANUS · Vellem · plenius audire ·
PAULUS · Et volumus dicere · Gloriosissimi · et famosissimi · imperatores · Constantinus · Constans · et Con-
5 stantius · quorum famulabamur imperio · fuere viri christianissimi · et gloriabantur · se servos esse Christi ·
fol. 88v IULIANUS · Memini ·| Sed non opto eos in hoc sequi · 3
PAULUS · Deteriora imitaris · Qui ęcclesias frequentabant · et excusso diademate · prostrati Iesum Christum
10 adorabant ·
IULIANUS · Ad hęc me non cogitis ·
IOHANNES · Ideo illis es dissimilis ·
PAULUS · Nam quia adorabant creatorem · augustalis apicem dignitatis ornabant · et beatificabant insignibus
15 suę probitatis · et sanctitatis · prosperisque ad vota successionibus pollebant ·
IULIANUS · Certe et ego ·
IOHANNES · Non simili modo quia eos divina comitabatur gratia ·
20 IULIANUS · Frivola · Ego quondam stultus talia exercui · 4 et clericatum in ecclesia optinui ·
IOHANNES · Placetne tibi · o Paule · clericus?
PAULUS · Diaboli capellanus ·
IULIANUS · At ubi nihil utilitatis inesse deprehendi · ad
25 culturam deorum me inflexi · quorum pietas me provexit ad fastigium regni ·

4 et *deest C.* 6 iesu christi *C.* 8 imitaris *sine interp. sequ. M.* 9 diademate] *ita C,* dio dema|mate *mut. in* diadema|mate *man. post. M.* prostrati *deest h, m.* Iesum *deest C, h.* christum prostrati *C.* 13 qui *C.* adorabant creatorem] *ita C,* adolabantur creatori *M.* augustialem pacem *C!* 14 insignis *C.* 15 successibus *C.* 17 et ego] *ita C, m;* et *supr. lin. inseruit ante* ego *M.* 20 stultus quondam *C.* 22 Placetne/// *M.* o *deest C.* 23 Diaboli// *M.* 25 inflexi] infelix *C!*

IOHANNES · Abrupisti nostri orationem · ne audires iustorum laudem · [V 4]

IULIANUS · Quid ad me?

PAULUS · Nihil · sed subiungendum est quod ad te · 5
5 Postquam enim mundus eis non erat dignus habendis · suscepti sunt inter angelos · tibique infelix res publica relinquebatur regenda ·

IULIANUS · Cur infelix iuxta id temporis?

IOHANNES · Ex qualitate rectoris ·

10 PAULUS · Reliquisti omnem religionem · et imitatus es idolatrię supersticionem · Pro hac iniquitate · et a tuis conspectibus et a tuorum societate nos subtraximus ·

IULIANUS · Licet satis multis iniuriis a vobis dehone- 6
fol. 89r status sim · ad|huc tamen parcens audacię · cupio vos in-
15 ter primos in palatio extollere ·

IOHANNES · Ne fatiga te · quia nec minis nec blandimentis cogimur cedere ·

IULIANUS · Decem dierum dabo inducias · quo tandem 7 resipiscentes ultro maturetis reconciliari · gratiae nostrę
20 dignitatis · Sin autem · quod faciendum est faciam · ne ultra vobis ludibrium fiam ·

PAULUS · Quod facturus eris · hodie perfice · quia nec ad tui salutationem · nec ad palatium · nec ad culturam deorum nos poteris revocare ·

25 IULIANUS · Abite · discedite · quę monui perpetrate ·

IOHANNES · Acceptas non flocci faciamus inducias ·

1 rationem *C.* laudem iustorum *C.* **4** a *C.* **5** erit *C.* habendus *C; deest h, m.* **6** inter] in *C.* **11** pro *M.* **13** iniuriis] *ita C; deest M, h, m.* **14** audacię] iniurie *C.* **16** fatigate *M.* **19** respicientes *C!* **20** autem] aut// *M,* aū *C.* **21** faciam *C.* **23** cultura *C.* **26** facimus *C.*

sed facultates cęlo praemittamus · nosque ieiuniis et ob- [V 7]
secrationibus deo interim commendemus ·

Paulus · Consequens est ·

Iulianus · Vade Terrentiane · sumptis tecum militibus VI
5 et compelle Iohannem et Paulum deo Iovi sacrificare · Si
autem obstinato restiterint pectore perimantur · non pa-
lam · sed nimium occulte · quia palatini fuere ·

Terrentianus · Imperator Iulianus cui servio · misit VII 1
vobis Iohannes et Paule · pro sui clementia aureum simu-
10 lachrum Iovis cui tura gratis imponere debetis · quod si
nolueritis · capitalem sententiam subibitis ·

Iohannes · Si Iulianus sit tuus dominus habeto pacem
cum illo · et utere eius gratia · nobis non est alius · nisi
dominus Iesus Christus · pro cuius amore desideramus
15 mori · quo mereamur ęternis gaudiis perfrui ·

Terrentianus · Quid tardatis, milites? stringite fer- 2
rum · et interficite imperatoris deorumque rebelles · in-
terfectos clam in domo sepelite · nullumque sanguinis
vestigium relinquite ·

1 permutemus *C.* **2** deo] ab *C!* **3** Sequens est *C.* **4** terrentiane *sine interp. sequ. M.* **5** Iovi] uiuo et uero *C!* **6** perimantur] permanī *C; sine interp. sequ. M.* **7** fuerunt *C.* **9** paule *sine interp. sequ. M.* **10** tura] *ita C*; t^{h}ura *M*, thura *m.* **11** subitis *C.* **12** sit tuus] eternus *C!* dominus *corr. ex* domnus *M*, dominus *m*; dn̄s *C.* **17** imperatoris – rebelles] rebelles imperatoris et deorum · et *C.* **18** in domo *desunt C.*

MILITES · Et quid dicemus rogati? [VII 2]

fol. 89v TERRENTIANUS · Simulate · quasi exilio sint | destinati ·

IOHANNES · PAULUS · Te Christe cum patre et sancto spiritu regnantem · unum deum sub hoc periculo invoca-
5 mus · te moriendo laudamus · tu suscipe animas pro te de lutea habitatione eliminatas ·

TERRENTIANUS · Eh heu · o christicolę · quid patitur unicus filius meus? VIII 1

CHRISTICOLAE · Stridet dentibus · sputa iacit · torquet
10 insana lumina · nam plenus est · demonio ·

TERRENTIANUS · Ve patri · ubi agitatur?

CHRISTICOLAE · Ante sepulchra martirum Iohannis et Pauli · humi provolvitur · seque ipsorum precibus torqueri fatetur ·

15 TERRENTIANUS · Mea culpa · meum facinus · nam meo hortatu · meo iussu · ipse infelix · impias manus in sanctos martires misit · 2

CHRISTICOLAE · Si te hortante deliquit · te compatiente poenas luit ·

20 TERRENTIANUS · Ego quidem miser parui iussis impiissimi imperatoris Iuliani ·

CHRISTICOLAE · Ideo namque ipse divina perculsus est ultione ·

TERRENTIANUS · Scio eoque magis expaveo · quo nul-

2 TERRENTIANUS] Iulianus *C.* 3 Iohannes et paulus *C.* spiritu sancto *C.* 6 eliminas *C.* 7 Eh heu] Sed heu *C;* Eheu *h, m.* 9 xp̄icole *C;* X· *M;* Xpīani *h, m.* dentibus *sine interp. sequ. M.* 10 demonio *sine interp. sequ. M.* 11 patri *sine interp. sequ. M.* 12 Ant *C.* 19 pęnas *M,* penas *C.*

lum hostem dei servorum · impunitum evasisse memi- [VIII 2]
nero ·

CHRISTICOLAE · Recte ·

TERRENTIANUS · Quid si curram · et pęnitens sceleris ·
5 sacris provolvar tumulis?

CHRISTICOLAE · Veniam mereberis · si tamen baptismate · mundaberis ·

TERRENTIANUS · Gloriosi testes Christi Iohannes et IX 1
Paule · imitamini exemplum magistri eadem iubentis · et
10 orate pro persecutorum delictis · Este compatientes orbati patris angustiis · et misereamini furientis nati miseriis · quo ambo tincti fonte baptismatis perseveremus in fide sanctę trinitatis ·

CHRISTICOLAE · Parce Terrentiane · lacrimis · et parce 2
fol. 90r 15 anxietati cordis ·| en filius tuus resipiscit · et per martirum suffragia sanum recepit ·

TERRENTIANUS · Gratias regi aeternitatis · qui suis militibus tantum praestitit honoris · ut non solum anime gaudent in caelis · sed etiam mortua in tumulis ossa · va-
20 riis fulgent miraculorum titulis · in testimonium sui sanctitatis · praestante domino nostro Iesu Christo qui vivit ⟨et regnat deus in unitate spiritus sancti per omnia saecula saeculorum · Amen ·⟩

---

5 prouolua cumulis *C!* **10** estote *C;* Estote *h, m.* **11** et angustiis *C.* miseremini *C.* **12** baptismatis] *ita C,* baptimatis *M.* **14** terrentiane *sine interp. sequ. M.* **15** cordis *sine interp. sequ. M.* **16** recepit] sapit *C.* **18** ut] quod *C.* **19** gavdent *mut. in* gavdeant *man. post. M.* celis *C,* cęlo *M.* fluent uariis *C!* **20** fulgent *mut. in* fulgeant *man. post. M.* sui] tuę *C.* **21** Prestante *M.* nostro *deest C.* qui vivit *desunt C.*

PASSIO SANCTARUM VIRGINUM · AGAPIS · CHIONIĘ · ET HIRENĘ ·

quas sub nocturno silentio · Dulcitius pręses clam adiit · cupiens earum amplexibus saturari · sed mox ut intravit
5 mente captus · ollas et sartagines · pro virginibus amplectendo osculabatur · donec facies et vestes horribili nigredine inficiebantur · Deinde Sisinnio comiti ius super puniendas virgines cessit · qui etiam miris modis illusus tandem Agapem et Chioniam concremari · et Hirenam
10 iussit perfodi ·

DIOCLETIANUS · AGAPES · CHIONIA · HIRENA ·
fol. 90ᵛ DULCI|TIUS · MILITES ·

DIOCLETIANUS · Parentelae claritas ingenuitatis vestrumque serenitas pulchritudinis · exigit vos nuptiali **I** 1
15 lege primis in palatio copulari · quod nostri iussio annuerit fieri · si Christum negare · nostrisque diis sacrificia velitis ferre ·

AGAPES · Esto securus curarum · nec te gravet nostrum 2 preparatio nuptiarum · quia nec ad negationem confi-

1–10 *desunt C.* **1** *Post init. litt.* P *minusculis pergit M.* **2** hyrenę *M.* **7** iussu per *M.* **9** AG · et · CHION · *M.* HIR *M.* **11** Hirenis *C.* **13** DIOCLETIANUS] *deest M* (d *add. in marg.),* io· *C.* Parentelę *(init. litt.) M.* claritas et *C.* vestrumque] uestrę *C.* **14** et pulchritudinis *C.* **15** primis] *corr. ex* primus *M,* is *in ras. (?) C.* quod] quid dum *C.* **16** negare – ferre] uelitis negare · et nostris diis sacrificia ferre *C.* **18** nostrum] *ita C, mut. in* nostrarum *M.*

tendi nominis · nec ad corruptionem integritatis · ullis re- [I 2]
bus compelli poterimus ·

DIOCLETIANUS · Quid sibi vult ista · quę vos agitat fa- 3
tuitas?

5 AGAPES · Quod signum fatuitatis nobis inesse deprehendis?

DIOCLETIANUS · Evidens · magnumque ·

AGAPES · In quo?

DIOCLETIANUS · In hoc precipue · quod relicta vetustę
10 observantia religionis · inutilem christianę novitatem sequimini supersticionis ·

AGAPES · Temere calumpniaris statum dei omnipotentis · Periculum ·

DIOCLETIANUS · Cuius?

15 AGAPES · Tui · reique publicę quam gubernas ·

DIOCLETIANUS · Ista insanit · amoveatur ·

CHIONIA · Mea germana non insanit · sed tui stulti- 4
ciam iuste reprehendit ·

DIOCLETIANUS · Ista inclementius bachatur · unde no-
20 stris conspectibus aeque subtrahatur · et tercia discutiatur ·

HIRENA · Terciam rebellem · tibique penitus probabis 5
renitentem ·

fol. 91r DIOCLETIANUS · Hirena · cum | sis minor aetate · fito
25 maior dignitate ·

HIRENA · Ostende quęso · quo pacto?

3 agit *C.* **5** nobis inesse] in nobis *C.* **7** et magnum *C.* **10** inutiliter *C.* **13** periculum *M,* esse periculum *C.* **17** non sanit *C.* **18** iste *C.* **19** inclementer *C.* **20** aspectibus *C.* equę *M.* đcutiatur *C.* **22** Hirenis *C.* poenitus *M.* **24** fito] esto *C.* **26** quęso *deest C.*

DIOCLETIANUS · Flecte cervicem diis · et esto sororibus [I 5] exemplum correctionis · et causa liberationis ·

HIRENA · Conquiniscant idolis · qui velint incurrere 6 iram celsitonantis · ego quidem caput regali unguento 5 delibutum · non dehonestabo · pedibus simulachrorum submittendo ·

DIOCLETIANUS · Cultura deorum non adducit inhonestatem · sed precipuum honorem ·

HIRENA · Et quę inhonestas turpior · quę turpitudo 7 10 maior · quam ut servus veneretur ut dominus?

DIOCLETIANUS · Non suadeo tibi venerari servos · sed dominos principumque deos ·

HIRENA · Nonne is est cuiusvis servus · qui ab artifice pretio comparatur ut empticius?

15 DIOCLETIANUS · Huius presumptio verbositatis · tollenda est supplitiis · 8

HIRENA · Hoc optamus · hoc amplectimur · ut pro Christi amore supplitiis laceremur ·

DIOCLETIANUS · Istę contumaces · nostrisque decretis 20 contraluctantes · catenis inretiantur · et ad examen Dulcitii presidis · sub carcerali squalore serventur ·

---

3 Conquiescant *C.* uolunt *C.* 7 inhonestatem *mut. in* dehonestatem *man. post. M.* **10** quam – dominus] *mut. in* quam seruos uenerari ut dominos *man. post. M.* ueneraretur *C.* **11** suadebo *C.* 12 dominos] *corr. ex* dominorum *C,* dominorum *M.* principumque] ū principiumque *C.* **13** cuiusvis servus] *ita M* (uis seruus *in ras.),* cuius uis esse seruus *C.* **14** prętio *M.* **17** pro *deest C.* **18** laceremur] *ita M* (l *in ras.?),* maceremur *C.* **19** nostrisque] que *deest C.* **21** pauore reseruentur *C.*

DULCITIUS · Producite milites · producite quas tenetis II 1
in carcere ·
MILITES · Ecce quas vocasti ·
DULCITIUS · Papae · quam pulchrę · quam venustę ·
5 quam egregię puellulę ·
fol. 91ᵛ MILITES · Perfectę | decore ·
DULCITIUS · Captus sum illarum specie ·
MILITES · Credibile ·
DULCITIUS · Exestuo illas ad mei amorem trahere · 2
10 MILITES · Diffidimus te praevalere ·
DULCITIUS · Quare?
MILITES · Quia stabiles fide ·
DULCITIUS · Quid si suadeam blandimentis?
MILITES · Contempnunt ·
15 DULCITIUS · Quid si terream suppliciis?
MILITES · Parvi pendunt ·
DULCITIUS · Et quid fiet?
MILITES · Precogita ·
DULCITIUS · Ponite illas in custodiam · in interiorem 3
20 officinę aedem · in cuius proaulio ministrorum servantur
vasa ·
MILITES · Ut quid eo loci?
DULCITIUS · Quo a me sepiuscule possint visitari ·
MILITES · Ut iubes ·

---

25 DULCITIUS · Quid agant captivę · sub hoc noctis tem- III 1
pore?

4 Pape *C, M.* pulchre puellę *C.* 5 puellæ *C.* 6 decorę *M,* in decore *C.* 7 specie] *ita C,* spetie *M.* 15 supplitiis *M,* tormentis *C.* 19 in[2] *deest C.* 20 aedem] ecclesię *C.* 25 agant] *ita C, mut. in* agvnt *man. post. M.* tempore noctis *C.*

MILITES · Vacant hymnis · [III 1]

DULCITIUS · Accedamus propius ·

MILITES · Tinnulę sonitum vocis a longe audiemus ·

DULCITIUS · Observate pro foribus cum lucernis · ego 2
5 autem intrabo · et vel optatis amplexibus me saturabo ·

MILITES · Intra · praestolabimur ·

AGAPES · Quid strepit pro foribus? IV 1

HIRENA · Infelix Dulcitius · Ingreditur ·

CHIONIA · Deus nos tueatur ·

10 AGAPES · Amen ·

CHIONIA · Quid sibi vult collisio ollarum · caccabo- 2
rum · et sartaginum?

HIRENA · Lustrabo · Accedite quęso · per rimulas per-
spicite ·

15 AGAPES · Quid est?

HIRENA · Ecce iste stultus mente alienatus · estimat se
nostris uti amplexibus ·

AGAPES · Quid facit?

HIRENA · Nunc ollas molli fovet gremio · nunc sartagi- 3
20 nes et caccabos amplectitur · mitia libans oscula ·

CHIONIA · Ridiculum ·

fol. 92ʳ HIRENA · Nam facies · manus · ac vestimenta · adeo
sordidata · adeo coinquinata · ut nigredo quę inhęsit · si-
militudinem Aethiopis exprimat ·

2 proprius *C.* 5 amplexibus optatis *C.* 6 Intra] *ita C, corr. ex* Intro *man. post. M.* 7 strepat *M,* strepet *C.* 8 dulcitius *sine interp. sequ. M.* ingreditur *M.* 11 cacuborum *C.* 13 rimulos *C.* 16 alienus *C.* 17 amplexibus nostris uti *C.* 20 cacubos *C.* 22 ac] et *C.* 23 sordida *C.* inquinata *C.* 24 ethiopis *C, M.* exprimạt (a *in ras.) M,* exprimet *C.*

AGAPES · Decet ut talis appareat corpore · qualis a diabolo possidetur in mente · [IV 3]

HIRENA · En parat egredi · Intendamus · quid illo egrediente agant milites pro foribus expectantes? 4

---

5 MILITES · Quis hic egreditur? dęmoniacus · Vel magis ipse diabolus? Fugiamus · V

DULCITIUS · Milites · quo fugitis? state · expectate · ducite me cum lucernis ad cubile ·

MILITES · Vox senioris nostri · sed imago diaboli · Non
10 subsistamus · sed fugam maturemus · fantasma vult nos pessumdare ·

DULCITIUS · Ad palatium ibo · et quam abiectionem patiar · principibus vulgabo ·

DULCITIUS · Hostiarii introducite me in palatium · VI 1
15 quia ad imperatorem habeo secretum ·

HOSTIARII · Quid hoc vile ac detestabile monstrum · scissis et nigellis panniculis obsitum? pugnis tundamus · de gradu praecipitemus · nec ultra huc detur liber accessus ·

20 DULCITIUS · Ve ve quid contigit? nonne splendidissi- 2

3 egredi] *ita C,* ingredi *M.* 5 ipse magis *C.* 6 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 6 fugiamus *(sine interp. sequ.) M.* 7 *Puncto simpl. interr. claud. M.* state *sine interp. sequ. M.* 10 uult nos fantasma *C.* 12 abeectionem *M,* obiectionem *C.* 13 patiar] *ita C,* patior *M.* de uulgabo *C.* 17 nigrellis *C.* 18 nec – liber] ne hunc ultra liber detur *C.* 20 contigit *(puncto simpl. sequ.),* accidit *C.*

mis vestibus indutus · totoque corpore videor nitidus · et [VI 2]
quicumque me aspicit · velut horribile monstrum fastidit? Ad coniugem revertar · quo ab illa quid erga me actum sit experiar · En solutis crinibus egreditur · omnis-
5 que domus lacrimis prosequitur ·

CONIUX · Heu heu · mi senior Dulciti · quid pateris? VII
fol. 92v Non es sanę | mentis · factus es in derisum christicolis ·

DULCITIUS · Nunc tandem sentio me illusum illarum maleficiis ·

10 CONIUX · Hoc me vehementer confudit · hoc pręcipue contristavit · quod quid patiebaris ignorasti ·

DULCITIUS · Mando ut lascivae praesententur puellę · et abstractis vestibus publice denudentur · quo versa vice quid nostra possint ludibria experiantur ·

---

15 MILITES · Frustra sudamus · in vanum laboramus · ecce VIII
vestimenta virgineis corporibus inherent velut coria · sed et ipse qui nos ad exspoliandum urgebat preses stertit sedendo · nec ullatenus excitari potest a somno · Ad imperatorem adeamus · ipsique rerum quę geruntur propale-
20 mus ·

---

3 quid] quod *C.* erga me *supr. lin. M.* 6 Heu[1]] *ita C,* Hey *M.* dulcicii *C.* *Puncto simpl. interr. claud. M.* 7 Non – mentis *desunt C.* 8 delusum *C.* 9 malefitiis *M.* 10 hoc[2]] *add.* me *C.* 11 paciabaris *C.* 12 lasciuę *corr. ex* lasciuię *man. post. M.* 13 publicę *M.* 15 Frusta *C.* 17 et *deest C.* exspoliandum] *corr. ex* expoliandum *M,* spoliandum *C.* presens *C.* stertit *corr. ex* stertet *M.* 18 AD im *in ras. M.* 19 eamus *C.* rerum] *ita M (gen. part. obi.),* res *C.*

IX DIOCLETIANUS · Dolet nimium quod presidem Dulcitium audio · adeo illusum · adeo exprobratum · adeo calumniatum · Sed ne viles mulierculę iactent se impune nostris diis · deorumque cultoribus illudere · Sisinnium
5 comitem dirigam ad ultionem exercendam ·

X SISINNIUS · O milites ubi sunt lascivae · quę torqueri debent puelle?

MILITES · Affliguntur in carcere ·

SISINNIUS · Hirenam reservate · et reliquas producite ·

10 MILITES · Cur unam excipis?

SISINNIUS · Parcens infantię · Forte facilius convertetur · si sororum praesentia non terrebitur ·

MILITES · Ita ·

Praesto sunt · quas iussisti · XI 1

15 SISINNIUS · Prębete assensum Agapes et Chionia meis consiliis ·

AGAPES · Si prębebimus ·

SISINNIUS · Ferte libamina · diis ·

fol. 93r AGAPES · Vero et | aeterno patri · eiusque coęterno fi-
20 lio · sanctoque amborum paraclyto · sacrifitium laudis sine intermissione libamus ·

SISINNIUS · Hoc vobis non suadeo · sed poenis prohibeo ·

AGAPES · Non prohibebis · nec umquam sacrificabi-
25 mus dęmoniis ·

1 Doleo *C.* 3 iactent] *ita C,* iactant *M.* impunite *C.* 6 lasciuię *M (sine interp. sequ.),* lasciue *C.* 9 reservate] *corr. ex* reseruare *M,* seruate *C.* 11 forte *M.* 12 praesentia · non *interp. M.* terretur *C.* 13 Ita *deest C.* 14 quos *C, M. Hanc lectionem defendit M. Goullet, Hrotsvita, 1999, p. CXI.* 19 AGAPES] *ita C,* H · *(=* Hirena*) M.* et *deest C.* 22 prohibebo *C.*

SISINNIUS · Deponite duritiam cordis · et sacrificate · [XI] 2
sin autem · faciam vos interfectum iri · iuxta praeceptum
imperatoris Diocletiani ·
CHIONIA · Decet ut in nostri necem obtemperes · iussis
5 tui imperatoris · cuius nos decreta contempnere noscis ·
si autem parcendo moram feceris · aequum est · ut tu in-
terficiaris ·
SISINNIUS · Non tardetis milites · non tardetis · capite 3
blasphemas has · et in ignem proicite vivas ·
10 MILITES · Instemus construendis rogis · et tradamus il-
las bachantibus flammis · quo finem demus conviciis ·
AGAPES · Non tibi domine · non tibi hęc potentia inso- 4
lita · ut ignis vim virtutis suę obliviscatur · tibi obtempe-
rando · Sed taedet nos morarum · ideo rogamus solvi reti-
15 nacula · animarum · quo extinctis corporibus tecum plau-
dant · in aethere nostri spiritus ·
MILITES · O novum · o stupendum miraculum · Ecce 5
anime egressę sunt corpora · et nulla · laesionis repperi-
untur vestigia · sed nec capilli · nec vestimenta · ab igne
20 sunt ambusta · quo minus corpora ·
SISINNIUS · Proferte · Hirenam ·

MILITES · Eccam · XII 1
SISINNIUS · Pertimesce Hirena · necem sororum · et
cave perire exemplo illarum ·

2 ire *C.* 3 diocleciani *C,* diocleuani *M.* 4 obtemperis *C.* 6 tu *deest C.* interficiaris] *ita C,* interfitiaris *M.* 8 ᵃtdetis *(bis) C.* tardetis²] ti *in ras. (sine interp. sequ.) M.* capite] *ita C,* caput *mut. in* capere *M.* 9 blasphemas] b *in ras. M.* 11 conuitiis *M.* 14 sed *C, M.* absolui *C.* 15 plaudant] *ita C,* plaudent *M.* 16 aethere] *ita C,* æthre *M.* 17 o² *deest C.* ecce *C, M.* 20 combusta *C.* corpora? *interp. M.* 21 proferte *M.*

HIRENA · Opto exemplum earum moriendo sequi · quo [XII 1]
merear cum eis aeternaliter lętari ·
fol. 93v SISINNIUS · Cede cede | meę suasioni ·
HIRENA · Haut cedam facinus suadenti ·
5 SISINNIUS · Si non cesseris · non citum tibi praestabo 2
exitum · sed differam · et nova in dies supplitia multiplicabo ·
HIRENA · Quanto acrius torqueor · tanto gloriosius exaltabor ·
10 SISINNIUS · Supplitia non metuis? admovebo quod horrescis ·
HIRENA · Quicquid irrogabis adversi · evadam iuvamine Christi ·
SISINNIUS · Faciam te ad lupanar duci · corpusque 3
15 tuum turpiter coinquinari ·
HIRENA · Melius est · ut corpus quibuscumque iniuriis · maculetur · quam anima idolis polluatur ·
SISINNIUS · Si socia eris meretricum · non poteris polluta ultra intra contubernium · computari virginum ·
20 HIRENA · Voluptas parit poenam · necessitas autem coronam · nec dicitur reatus · nisi quod consentit animus ·
SISINNIUS · Frustra parcebam · frustra miserebar · 4
huius infantię ·
MILITES · Praescivimus · nullatenus ad deorum cul-
25 turam potest flecti · nec terrore umquam potest frangi ·

1 illarum *C.* 2 eis] *ita C,* his *M.* 3 cede² *deest C.* 6 multiplicabo supplicia *C.* 10 *Puncto simpl. interr. claud. M.* quod] *ita C, corr. ex* quid *M.* 11 perhorrescis *C.* 12 Quicquid – Christi] Quid irrogaueris supplicii euadam in nomine domini *C.* 15 commaculari *C.* 16 corpus *supr. lin. M.* 17 anima *deest C.* 18 sociaris *C.* adulterio meretricum *C.* 19 contubernium] tabernaculum *C.* uirginum computari *C.* 21 nec] et non *C.* 22 miserabar *C.* 24 Praesciuimus *sine interp. sequ. M.* 25 nec] non *C.* potest² *deest C.*

SISINNIUS · Non ultra parcam · [XII 4]

MILITES · Rectum ·

SISINNIUS · Capite illam sine miseratione · et trahentes cum crudelitate · ducite ad lupanar sine honore · 5

5 HIRENA · Non perducent ·

SISINNIUS · Quis prohibere poterit?

HIRENA · Qui mundum sui providentia regit ·

SISINNIUS · Probabo ·

HIRENA · Ac cicius libito ·

10 SISINNIUS · Ne terreamini milites · fallacibus huius blasphemae praesagiis ·

MILITES · Non terremur · sed tuis praeceptis parere nitimur ·

SISINNIUS · Qui sunt hi · qui nos invadunt? Quam si- XIII 1

fol. 94r 15 miles sunt | militibus · quibus Hirenam tradidimus · Ipsi sunt · Cur tam cito revertimini · quo tenditis tam anheli?

MILITES · Te ipsum querimus ·

SISINNIUS · Ubi est quam traxistis?

MILITES · In supercilio montis ·

20 SISINNIUS · Cuius?

MILITES · Proximi ·

SISINNIUS · O insensati et hebetes · tociusque rationis incapaces · 2

MILITES · Cur causaris? cur voce et vultu nobis minaris?

25

1 parcam ultra *C.* 4 sine honore *desunt C.* 9 HIRENA *deest C.* Ac cicius] Kccicius *C!* **10** He ĩerreamini *C.* **11** blasphemię *M,* blasphemie *C.* **14** hi? *interp. M.* quam *M,* Qui *C.* **15** ipsi *M.* **16** ta|cito *C.* quo *corr. ex* quam *(?) man. post. M.* **22** O *deest C.* **23** incapaces? *interp. M.* **24** nobis uultu et uoce *C.*

SISINNIUS · Dii vos perdant · [XIII 2]

MILITES · Quid in te commisimus? · quam tibi iniuriam fecimus? · quę tua iussa transgressi sumus?

SISINNIUS · Nonne praecepi · ut rebellem deorum · ad
5 turpitudinis locum traheretis?

MILITES · Precepisti · nosque tuis praeceptis operam 3 dedimus · implendis · sed supervenere duo ignoti · iuvenes · asserentes se ad hoc ex te missos · ut Hirenam ad cacumen montis perducerent ·

10 SISINNIUS · Ignorabam ·

MILITES · Agnoscimus ·

SISINNIUS · Quales fuerunt?

MILITES · Amictu splendidi · vultu admodum reverendi ·

15 SISINNIUS · Num sequebamini illos? 4

MILITES · Sequebamur ·

SISINNIUS · Quid fecerunt?

MILITES · A dextra levaque Hirenę se locaverunt · et nos huc direxerunt · quo te exitus rei non lateret ·

20 SISINNIUS · Restat · ut ascenso equo pergam · et qui fuerint · qui nos tam libere illuserunt perquiram ·

MILITES · Properemus pariter ·

SISINNIUS · Hem · ignoro quid agam · pessumdatus XIV 1 sum maleficiis christicolarum · En montem circueo · et

5 locum turpitudinis *C.* *Puncto simpl. interr. claud. M.* **7** implendo *C.* **13** Amicti splendide *C.* **18** collocauerunt *C.* **20** equo] *ita C,* aequo *M.* **22** Properabimus *C.* **24** sumus *C!* circueo] *ita C, corr. ex* circumeo *M.*

semitam aliquoties repperiens · nec ascensum compre- [XIV 1]
fol. 94ᵛ hendere · nec reditum | queo repetere ·

MILITES · Miris modis omnes illudimur · nimiaque las- 2
situdine fatigamur · et si insanum caput diutius vivere
5 sustines · te ipsum et nos perdes ·

SISINNIUS · Quisquis es meorum · strenue extende arcum · iace sagittam · perfode hanc maleficam ·

MILITES · Decet ·

HIRENA · Infelix erubesce Sisinni · erubesce · teque 3
10 turpiter victum ingemisce · quia tenellę infantiam virgunculę · absque armorum apparatu nequivisti superare ·

SISINNIUS · Quicquid dedecoris accedit levius tolero · quia te morituram haut dubito ·

HIRENA · Hinc mihi quam maxime gaudendum · tibi
15 vero dolendum · quia pro tui severitate malignitatis in tartara dampnaberis · ego autem martirii palmam · virginitatisque receptura coronam · intrabo aethereum aeterni regis thalamum · Cui est honor et gloria in saecula ·

---

1 aliquociens *C.* nec] non *C.* 2 nec] non *C.* 4 sanum *C!* diutius *deest C.* 5 perdes] *ita C, corr. ex* perdis *M.* 6 Si quis *C.* 7 iace] *ita (in ras.) M,* iacta *C.* 9 Erubesce infelix *C.* 10 quia] quam *C.* 12 decoris accidit *C!* 13 quia] quam *C.* 14 quam *deest C.* gaudendum · *interp. C, sine interp. M.* 15 tue malignitatis seueritate *C.* 17 et eterni *C.* 18 secula seculorum amen · *C.*

RESUSCITATIO · DRUSIANĘ · ET CALIMACHI ·

qui eam non solum vivam sed etiam prę tristicia · atque execratione illiciti amoris · in domino mortuam plus
5 iusto amavit · unde morsu serpentis male periit · sed precibus sancti Iohannis apostoli · una cum Drusiana resuscitatus · in Christo est renatus ·

---

fol. 95r CALIMACHUS · AMICI ·
DRUSIANA · ANDRONICHUS · SANCTUS IOHANNES ·
10 FORTUNATUS ·

CALIMACHUS · Paucis vos amici volo · I
AMICI · Utere quantum libet nostro colloquio ·
CALIMACHUS · Si egre non accipitis · malo vos interim sequestrari aliorum a collegio ·
15 AMICI · Quod tibi videtur commodum · nobis est sequendum ·
CALIMACHUS · Accedamus in secretiora loca · ne quis superveniens · interrumpat dicenda ·
AMICI · Ut libet ·

---

20 CALIMACHUS · Anxie diuque gravem sustinui dolorem · **II** 1
quem vestro consilio relevari posse spero ·

1–7 *desunt C.* **1** *Post init. litt.* R *minusculis pergit M.* **7** renatus *sine interp. sequ. M.* **8** Calimacus *C.* AMICI – FORTUNATUS] Drusiana · Amici · Fortunatus · Sanctus · Iohannes · Andromacus *C.* **11** CALIMACHUS] Calimacus *C, deest M.* Paucis] *ita M (init. litt.),* Pauci *C.* amici *corr. ex* amicis *M.* **14** sequestrimaliorum acollēgio *C!* **15** Quid *C.* **17** quis] *ita C,* aliquis *M.* **19** iubet *C!* **20** CALIMACHUS *deest C.* Anxium *C.*

AMICI · Aequum est · ut communicata invicem compassione patiamur · quicquid unicuique nostrum utriusque eventu fortunę ingeratur · [II 1]

CALIMACHUS · O utinam voluissetis meam passionem
5 compatiendo mecum partiri ·

AMICI · Enuclea quid patiaris · et si res exigit compatiemur · sin autem · animum tuum a nequam intentione revocare nitimur ·

CALIMACHUS · Amo · 2

10 AMICI · Quid?

CALIMACHUS · Rem pulchram · rem venustam ·

AMICI · Nec in solo · nec in omni · ideo atomum quod amas · per hoc nequit intellegi ·

fol. 95v CALIMACHUS · Mulierem ·

15 AMICI · Cum mulierem dixeris · omnes comprehendis ·

CALIMACHUS · Non omnes aequaliter · sed unam specialiter ·

AMICI · Quod de subiecto dicitur · non nisi de subiecto aliquo cognoscitur · Unde si velis nos enarithmum agnos-
20 cere · dic primam usyam ·

CALIMACHUS · Drusianam · 3

AMICI · Andronici huius principis coniugem?

CALIMACHUS · Ipsam ·

AMICI · Erras socie · est lota baptismate ·

25 CALIMACHUS · Inde non curo · si ipsam ad mei amorem attrahere potero ·

AMICI · Non poteris ·

7 anequa *(e expunx.) C.* **8** revocare] *ita C,* reuocari *M.* **12** at thomum *C.* **13** nequit] ne quid *mut. ex* ne quit *C.* intelligi *(ita semper) corr. ex* intelligit *C.* **15** Mulierem · cum diceris *C.* comprehendis *sine interp. sequ. M.* **16** spetialiter *M.* **19** primum enarithmum *C.* **20** primum usiam *C.*

CALIMACHUS · Cur diffiditis? [II 3]

AMICI · Quia rem difficilem petis ·

CALIMACHUS · Num ego primus huiusmodi rem peto · et non multorum ad audendum provocatus sum ex-
5 emplo?

AMICI · Intende frater · ea ipsa quam ardes · sancti Io- 4
hannis apostoli doctrinam secuta · totam se devovit deo · in tantum ut nec ad thorum Andronici christianissimi viri · iam dudum potuit revocari · quo minus tuę consen-
10 tiet vanitati ·

CALIMACHUS · Quesivi a vobis consolationem · sed incutitis mihi desperationem ·

AMICI · Qui simulat fallit et qui profert adulationem · vendit veritatem ·

15 CALIMACHUS · Quia mihi vestri auxilium subtrahitis · 5
ipsam adibo · eiusque animo · mei amorem blandimentis persuadebo ·

AMICI · Haut persuadebis ·

CALIMACHUS · Quippe vetar fatis ·

20 AMICI · Experiemur ·

CALIMACHUS · Sermo meus ad te Drusiana · praecor- III 1
dialis amor ·

DRUSIANA · Quid mecum velis Calimache · sermonibus agere vehementer admiror ·

25 CALIMACHUS · Miraris ·

6 ardescis *C.* **8** thronum *C.* uiri christianissimi *C.* **10** uanitati? *interp. C.* **11** vobis] uo| *C.* sed] et *C.* **15** vestri] *ita C,* uestrum *M.* **17** perspadebo *C.* **18** perspadebis *C.* **19** uatis *C.* **23** calimache *sine interp. sequ. M.*

DRUSIANA · Satis · [III 1]
CALIMACHUS · Primum de amore ·
DRUSIANA · Quid de amore?
fol. 96r CALIMACHUS · Id scilicet · quod te | prae omnibus di-
5 ligo ·
DRUSIANA · Quod ius consanguinitatis · quęve legalis 2
conditio institutionis · compellit te ad mei amorem?
CALIMACHUS · Tui pulchritudo ·
DRUSIANA · Mea pulchritudo?
10 CALIMACHUS · Immo ·
DRUSIANA · Quid ad te?
CALIMACHUS · Pro dolor hactenus parum · sed spero
quod attineat postmodum ·
DRUSIANA · Discede discede leno nefande · confundor 3
15 enim diutius tecum verba miscere · quem sentio plenum
diabolica deceptione ·
CALIMACHUS · Mea Drusiana · ne repellas te amantem ·
tuoque amore cordetenus inherentem · sed impende
amori vicem ·
20 DRUSIANA · Lenocinia tua parvi pendo · tuique lasci-
viam fastidio · sed te ipsum penitus sperno ·
CALIMACHUS · Adhuc non repperi occasionem iras- 4
cendi · quia quid mea in te agat dilectio forte erubescis
fateri ·
25 DRUSIANA · Nihil aliud nisi indignationem ·
CALIMACHUS · Credo te hanc sententiam mutatum ire ·
DRUSIANA · Non mutabo · percerte ·
CALIMACHUS · Forte ·

4 diligo] amo *C.* 6 quęve] uel que *C.* 7 constitutionis *C.* 12 actenus *M.* parum actenus *C.* 14 leo *C!* 15 miscere] *ita C, corr. ex* commiscere *M.* 17 te] me *C.* 18 amori *C.* 20 Leocinia *C!* 21 fastido · et te *C.* 23 forte *deest C.* 26 te *deest C.* mutatam *C.* 27 certe *C.*

DRUSIANA · O insensate et amens · cur falleris · cur te [III] 5
vacua spe illudis? quo pacto · qua dementia reris me tuę
cedere nugacitati · quę per multum temporis · a legalis
thoro viri me abstinui?
5 CALIMACHUS · Pro deum atque hominum fidem · si
non cesseris · non quiescam · non desistam · donec te
captuosis circumveniam insidiis ·

DRUSIANA · Eh heu domine Iesu Christe · quid prodest IV
castitatis professionem subiisse · cum is amens mea de-
fol. 96v 10 ceptus est spetie? Intende domine mei timorem · | In-
tende, quem patior dolorem · Quid mihi quid agendum
sit ignoro · Si prodidero civilis per me fiet discordia · Si
celavero · insidiis diabolicis · sine te refragari nequeo ·
Iube me in te Christe · ocius mori · ne fiam in ruinam
15 delicato iuveni ·
ANDRONICHUS · Ve mihi infortunato · en inprovise
mortua est Drusiana · Curro · sanctumque Iohannem ad-
voco ·

IOHANNES · Cur nimium contristaris · Andronice · cur V 1
20 fluunt lacrime?

1 cur te vacua] curua | *C.* 2 illuderis? *C.* Quonpacto *C.* re-
ris – cedere] credis me cedere · tue *C.* 3 per *deest C.* 4 abisti-
nui? *C.* *Puncto simpl. interr. claud. M.* 5 Pro] P̄h *C.* 6 cesseris]
ita C, cessaueris *M.* captuosis te *C.* 8 Eheu *C.* 9 sub isse *C.*
amens *deest C.* specie deceptus est *C.* 11 Quid[1]] quid *M.*
quid[2]] *deest C.* 12 per] pro *C.* 14 inte *M,* inde *C.* christe *sine
interp. sequ. M.* 16 en] *ita C,* & *M.* 17 et sanctum *C.* 19 con-
tristaris – cur] contristaris? cur andronici *C.*

ANDRONICHUS · Heu heu domine · tedeo vitę proprię · [V 1]
IOHANNES · Quid pateris?
ANDRONICHUS · Drusiana tui assecla ·
IOHANNES · Quid illa? Estne homine exuta?
5 ANDRONICHUS · Hem · est ·
IOHANNES · Multum disconvenit · ut pro his fundantur 2
lacrime · quorum animas credimus lętari in requie ·
ANDRONICHUS · Non dubitem licet · quin ut asseris
anima aeternaliter lętetur · corpusque quandoque incor-
10 ruptum resuscitetur · hoc tamen me vehementer exurit ·
quod ipsa me presente mortem ut adveniret · optando in-
vitavit ·
IOHANNES · Agnovistin causam?
ANDRONICHUS · Agnovi tibique enucleam · si quando
15 ex tristicia hac convalescam ·
IOHANNES · Accedamus · exequiasque diligenter cele- 3
bremus ·
ANDRONICHUS · Marmoreum in proximo sepulchrum
habetur · in quod funus ponatur · servandique cura se-
20 pulchri · Fortunato · nostro relinquatur procuratori ·
IOHANNES · Decet ut tumuletur honorifice · Deus lęti-
ficet animam in requie ·

CALIMACHUS · Quid fiet Fortunate · quia nec morte **VI** 1
Drusianę revocari possum ab amore ·
25 FORTUNATUS · Miserabile ·
CALIMACHUS · Pereo · nisi me adiuvet tua industria ·

1 Heu] heu *M,* Eheu *C.* domine *sine interp. sequ. M.* tedet me uite *C.* 3 tua *C.* assecla *deest C.* 4 Quid illa? *desunt M.* 5 Hem] *Ita M sine interp. sequ.*, Vere *C.* 7 letari credimus *C.* 11 ut *deest C.* 13 Agnousti ne *C.* 18 ANDRONICHUS · *deest C.* 21 IOHANNES] Fortunatus *C.* 22 animam eius *C.* 24 amore] intentione *C.*

fol. 97r FORTUNATUS · In quo possum adiuvare? [VI 1]
CALIMACHUS · In eo · ut vel mortuam me facias videre ·
FORTUNATUS · Corpus adhuc integrum manet · ut reor · quia non languore exesum · sed levi ut experiebare febre
5 est solutum ·
CALIMACHUS · O me felicem · si numquam experirer ·
FORTUNATUS · Si placabis muneribus · dedam illud tuis 2
usibus ·
CALIMACHUS · Quę in presenti ad manus habeo · inter-
10 im accipe · nec diffidas te multo maiora accepturum fore ·
FORTUNATUS · Eamus cito ·
CALIMACHUS · In me non erit mora ·

FORTUNATUS · Ecce corpus · nec facies cadaverosa · VII 1
15 nec membra sunt tabida · Abutere ut libet ·
CALIMACHUS · O Drusiana · Drusiana · quo affectu cordis te colui · qua sinceritate dilectionis te visceratenus amplexatus fui · et tu semper abiecisti · meis votis contradixisti · Nunc in mea situm est potestate · quantislibet
20 iniuriis · te velim lacessere ·
FORTUNATUS · Atat · horribilis serpens invadit nos · 2
CALIMACHUS · Ei mihi Fortunate · cur me decepisti? cur detestabile scelus persuasisti? En tu morieris serpentis vulnere · et ego commorior pre timore ·

---

1 adiuuari possum *C.* **2** In eo *desunt C.* me *deest C.* **3** adhuc – non] reor adhuc integrum manet quia nec *C.* **4** experiebar est febre *C.* **6** umquam experier *C.* **16** O *deest C.* **20** uelimus *C.* **23** nefas et scelus perspasisti *C.* en *M.*

IOHANNES · Accedamus Andronice ad tumulum Drusianę · quo animam Christo commendemus prece · VIII 1

ANDRONICHUS · Hoc decet tui sanctitatem · ut non obliviscaris in te confidentem ·

5 IOHANNES · Ecce invisibilis deus nobis apparet visibilis · in pulcherrimi similitudine iuvenis · 2

ANDRONICHUS · Expaveo ·

IOHANNES · Domine Iesu cur iuxta id loci dignatus es servis tuis manifestari?

10 DOMINUS · Propter Drusianę · eiusque qui iuxta sepulchrum illius iacet | resuscitationem apparui · quia nomen meum in his debet gloriari · *fol. 97v*

ANDRONICHUS · Quam subito receptus est cęlo · 3

IOHANNES · Ideo causam penitus non intellego ·

15 ANDRONICHUS · Maturemus gressum · forte re experieris in perventione · quod asseris te minus intellegere ·

IOHANNES · In nomine Christi · quid est hoc quod video miraculi? Ecce aperto sepulchro corpus Drusianę foras est eiectum · iuxta quod iacent duo cadavera · amplexu serpentis circumflexa · IX 1

20

ANDRONICHUS · Coniecto · quid significet · Is · ipse Calimachus · Drusianam dum viveret illicite amavit · 2

2 christo commendemus animam *C.* 3 tuam *C.* 5 aparet · nobis *C.* 7 Expaveo] *ita C,* Expauete *M.* 8 iesu christe *C.* 10 DOMINUS] Dñs *corr. ex* Dm̄ *C,* D· *M.* 11 iaces *C.* resuscitationem] *corr. ex* resuscitatio *Celt. in M, corr. ex* resusciationem *C.* 12 decet *C.* 13 quam *M.* subito] cit *C.* 14 poenitus *M.* 15 gressum *sine interp. sequ. M.* 16 preuentione *C.* intellegere] *mut. in* intellegire *M,* intelligere *C.* 17 hoc *deest C.* 21 is *M, deest C.* 22 chalimachus *M,* calimacus *C.*

quod illa ęgre ferens · in febrem prae tristicia incidit · et [IX 2]
mortem ut adveniret invitavit ·

IOHANNES · Hoc amor castitatis coegit ·

ANDRONICHUS · Post cuius occasum · hic amens infeli- 3
5 cis languorem amoris · et negati tedium conglomerans
sceleris tabescebat animo · eoque magis aestuabat desi-
derio ·

IOHANNES · Miserabile ·

ANDRONICHUS · Non ambigo · quin hunc improbum 4
10 servum mercede conduceret · quo illi patrandi occasio-
nem facinoris preberet ·

IOHANNES · O nefas incomparabile ·

ANDRONICHUS · Ideo ambo ut video morte sunt con-
sumpti · ne effectum administrarent sceleri ·

15 IOHANNES · Nec iniuria ·

ANDRONICHUS · In hoc tamen illud est vel maxime ad- 5
mirandum · cur huius qui pravum voluit resuscitacio ·
magis quam eius qui consensit · divina sit voce praenun-
fol. 98r tiata · nisi quia forte hic | carnali deceptus delectacione ·
20 deliquit · ignorantia · iste autem sola malitia ·

IOHANNES · Quanta supernus arbiter districtione 6
cunctorum facta examinat · quamque ęqua lance singulo-
rum merita pensat · id non obvium nec cuiquam explica-
bile fore potest · quia divini subtilitas iuditii longe prae-
25 terit · humani sagacitatem ingenii ·

ANDRONICHUS · Ideo admirando deficimus · quia re-
rum quę geruntur causas · docte internoscere nequimus ·

2 aduenirent *C.* 5 languuorem *M.* 6 estuabat desiderio *C,* desiderio æstuabat *M.* 9 improbum] *ita M.* 10 facinoris occasionem *C.* 12 incomparabile] miserabile *C.* 13 morte – ne] mortis in peruentio|ne *C!* 18 sit *deest C.* 26 defecimus *C.*

IOHANNES · Eventus post facta · docet persepe rerum [IX 6]
discrimina ·

ANDRONICHUS · Verum age iam beate Iohannes · quod 7
acturus es · fac ut resuscitetur Calimachus · quo solvatur
5 huiusmodi ambiguitatis nodus ·

IOHANNES · Reor prius invocato Christi nomine anguem proturbandum · post vero Calimachum suscitandum ·

ANDRONICHUS · Recte reris ne ultra ledatur morsu ser-
10 pentis ·

IOHANNES · Discede ab hoc crudelis bestia · quia servi- 8
turus est Christo ·

ANDRONICHUS · Licet inrationale animal sit · haut
surda tamen aure quod iussisti obaudivit ·

15 IOHANNES · Non mea · sed Christi virtute paruit ·

ANDRONICHUS · Ideo citius dicto evanuit ·

IOHANNES · Deus incircumscriptus et incomprehensi- 9
bilis · simplex et inaestimabilis · qui solus es id quod es ·
qui diversa duo sotians · ex hoc et hoc hominem fingis ·
20 eademque dissotians · unum quod constabat resolvis ·
iube ut reducto halitu · disiunctaque compagine · rursus
fol. 98v conliminata | Calimachus resurgat · plenus ut fuit homo ·
quo ab omnibus magnificeris · qui solus miranda operaris ·

ANDRONICHUS · Amen · Ecce vitales auras carpit · sed 10
25 prae stupore adhuc quiescit ·

IOHANNES · Calimache surge in Christi nomine · et ut-

4 facturus *C.* es fac · *interp. M.* 5 ambiguitatis] *ita C (*tat *in ras.),* ambiguitas *M.* 7 perturbandam *C.* resuscitandum *C.* 9 morsu] inpressu *C.* 11 se uiturus *C.* 13 animal sit] *ita C,* sit animal *M.* 15 mea] *corr. ex* meo *M,* meo *C.* paruit imperio *C.* 19 ex – dissotians *desunt C.* 21 habitu *C.* 23 mirabilia *C.* 24 ecce *M.* 26 nomine christi *C.*

cumque se res habeat confitere · sed et quantislibet obnoxius sis vitiis proferas · ne nos vel in modico lateat veritas · [IX 10]

CALIMACHUS · Negare nequeo · quin patrandi causa facinoris accesserim · quia infelici languore tabescebam · nec illiciti aestum amoris compescere poteram · 11

IOHANNES · Quȩ dementia · quȩ insania te decepit · ut castis praesumeres fragmentis alicuius iniuriam conferre dehonestatis?

CALIMACHUS · Propria stulticia · huiusque Fortunati fraudolenta deceptio ·

IOHANNES · Num triplici infortunio adeo infelix effectus es · ut nefas quod voluisti perficere posses? 12

CALIMACHUS · Nullatenus · licet non defuisset velle · possibilitas tamen omnino defuit posse ·

IOHANNES · Quo pacto impediebaris?

CALIMACHUS · Ut primum distracto tegmine · conviciis temptavi lacessere corpus exanime · iste Fortunatus qui fomes mali et incensor extitit · serpentinis perfusus venenis periit ·

ANDRONICHUS · O factum bene ·

CALIMACHUS · Mihi autem apparuit iuvenis aspectu terribilis · qui detectum corpus honorifice texit · ex cuius flammea facie candentes in bustum scintillȩ transiliebant · quarum una resiliens mihi in faciem ferebatur · si- 13

1 sed et] *ita C, desunt M.* 4 Nequeo negare *C.* causa *deest C.* 5 quia] qui de *C.* 6 illiciti] *ita M.* 7 decepit] *ita C,* decoepit *M.* 11 frădulenta *C.* 14 Nullatenus *sine interp. sequ. M.* uelle possibilitas · *interp. M.* 15 possibilitas *deest C.* 16 impediabaris *C.* 17 tegmine · *C, sine interp. M* conuitiis *C, M.* 18 lacessere *deest C.* 19 incensor] *ita C,* vel t *supr.* s *M.* infusus *C.* 24 scintillule transiebant *C.*

mulque vox facta est dicens · 'Calimache morere ut vi- [IX 13]
fol. 99r vas' · | His dictis exspiravi ·
IOHANNES · Opus cęlestis gratię · quae non delectatur
in impiorum perditione ·
5 CALIMACHUS · Audisti miseriam meę perditionis · noli 14
elongare medelam tuę miserationis ·
IOHANNES · Non elongabo ·
CALIMACHUS · Nam nimium confundor · cordetenus
contristor · anxio · gemo · doleo · super gravi impietate
10 mea ·
IOHANNES · Nec inmerito · quippe grave delictum ·
haut leve poenitudinis expectat remedium ·
CALIMACHUS · O utinam reserarentur secreta meorum 15
viscerum latibula · quo interni amaritudinem quam pa-
15 tior doloris perspiceres · et dolenti condoleres ·
IOHANNES · Congaudeo huiusmodi dolori · quia sentio
te salubriter contristari ·
CALIMACHUS · Tedet me prioris vitę · tedet delectacio-
nis iniquę ·
20 IOHANNES · Nec iniuria ·
CALIMACHUS · Poenitet me quod deliqui · 16
IOHANNES · Et merito ·
CALIMACHUS · Displicet omne quod feci · in tantum ut
nullus amor · nulla voluptas sit vivendi · nisi renatus in
25 Christo merear in melius transmutari ·

2 exspiraui *corr. ex* expiraui *C,* expiraui *mut. in* expsiraui *M.* 3 Opus est *C.* que *C,* qui *M.* 5 Audistis *C.* 8 confundar *M.* 14 quam] quem *C.* 15 doloris · perspiceres et *interp. M.* 18 tedet[2]] me *add. C.* 21 me quod] *ita C,* me *del. et* quę *scr. supr. lin. M.* 23 omne *deest C.* 24 uoluntas *C.* sit] *ita in ras. man. post. M,* est *C.*

IOHANNES · Non dubito · quin superna in te appareat [IX 16]
gratia ·

CALIMACHUS · Ideo ne moreris · ne pigriteris · lapsum 17
erigere · maerentem consolationibus attollere · quo tuo
5 monitu · tuo magisterio · a gentili in christianum · a nugace in castum · transmutatus virum · tuoque ducatu semitam arripiens veritatis · vivam iuxta divinę praeconium promissionis ·

IOHANNES · Benedicta sit unica progenies divinitatis · 18
10 idemque particeps nostrę fragilitatis · qui te fili Calimache · parcendo occidit · et occidendo vivificavit · quo
fol. 99v suum | plasma mortis spetie ab interitu liberaret animę ·

ANDRONICHUS · Res insolita · omnique admiratione digna ·

15 IOHANNES · O Christe mundi redemptio · et peccato- 19
rum propiciatio · qualibus laudum praeconiis te talem celebrem ignoro · expaveo tui benignam clementiam · et clementem pacientiam · qui peccantes nunc paterno more · tolerando blandiris · nunc iusta severitate casti-
20 gando ad poenitentiam cogis ·

ANDRONICHUS · Laus eius divinę pietati · Quis auderet 20
credere? quisve praesumeret sperare · ut hunc · quem criminosis intentum vitiis mors invenit · et inventum abstulit · tui miseratio ad vitam excitare · ad veniam dignare-
25 tur reparare? sit nomen tuum sanctum benedictum in saecula · qui solus facis stupenda mirabilia ·

---

1 in – gratia] in te apareat gratia *C*, gratia in te appareat *M*. **4** merentem *C*, *M*. **6** transmutatum *C*. **10** nostre particeps *C*. **16** qualibus] quibus *C*. **19** nunc] nec *C*. **21** eius *deest C*. pietati · ⟨IOHANNES⟩ *coni. v. Winterf., F. Bertini, Rosvita, Milano 1986, p. 144, et al. (contra codices)*. **25** sanctum *deest*, benedictum *scr. supr. lin. C*. **26** facis *deest C*. miracula *C*.

ANDRONICHUS · Eia sancte Iohannes · et me consolari ne tardes · Nam coniugalis amor Drusianę meam haut patitur mentem consistere · nisi et ipsam quantocius videam resurrectum ire · X 1 (IX 21)

5 IOHANNES · Drusiana · resuscitet te dominus Iesus Christus ·

DRUSIANA · Laus et honor tibi Christe · qui me fecisti reviviscere ·

CALIMACHUS · Sospitatis auctori grates · qui te mea 10 Drusiana resurgere dedit in lęticia · quę gravi cum tristicia die fungebaris extrema ·

DRUSIANA · Decet tui sanctitatem venerande pater Iohannes · ut resuscitato Calimacho qui me inlicite amavit · et hunc resuscites · qui mei proditor funeris extitit · 2 (IX 22)

15 CALIMACHUS · Ne dignum ducas Christi apostole · *fol. 100r* hunc proditorem · hunc malefactorem | a vinculis mortis absolvere · qui me decepit · me seduxit · meque ad audendum horribile facinus provocavit ·

IOHANNES · Non debes illi invidere gratiam divinę cle-20 mentię ·

CALIMACHUS · Non est enim dignus resurrectione · qui auctor extitit perditionis alienę ·

IOHANNES · Lex nostrę religionis docet · ut homo homini dimittat · si ipse a deo dimitti ambiat · 3 (IX 23)

25 ANDRONICHUS · Iustum ·

IOHANNES · Quando etiam dei unigenitus idemque virginis primogenitus · qui solus innocens · solus inmacula-

1 ANDRONICHUS] A · *M, deest C.* iohannes *sine interp. sequ. M.* 3 nisi] non *C.* 4 resurrecturam *C.* 7 Christe *deest C.* 8 reuiuescere *C.* 10 dedit] fecit *C.* 11 dę *M.* 12 Iohannes *deest (litt. una eras.) C.* 13 inlicita *C.* 15 ducas] putes *C.* 16 hunc[2]] atque *C.* 21 enim *deest C.*

tus · solus sine veterni sorde fuit delicti · in mundum venit · omnes sub gravi onere peccati depressos invenit · [X 3 (IX 23)]

ANDRONICHUS · Verum ·

IOHANNES · Sed licet nullum iustum · nullum misericordia inveniret dignum · neminem tamen sprevit · neminem suę gratia pietatis privavit · sed se ipsum omnibus tradidit · suique dilectam animam pro omnibus posuit · 4 (IX 24)

ANDRONICHUS · Si innocens non occideretur · nemo iuste liberaretur ·

IOHANNES · Ideo in hominum non delectatur perditione · quos suo emptos meminit pretioso sanguine ·

ANDRONICHUS · Gratias illi ·

IOHANNES · Unde aliis dei gratiam non debemus invidere · quam ex nullis praecedentibus meritis in nobis gaudemus habundare · 5 (IX 25)

CALIMACHUS · Terruisti me monitu ·

IOHANNES · Ne autem tuis videar reniti votis · non suscitetur per me · sed per Drusianam · quia ad hoc implendum a deo accepit gratiam ·

DRUSIANA · Divina substantia · quę vere et singulariter es sine materia forma · quę hominem ad tui imaginem plasmasti · et | *fol. 100v* plasmato spiraculum vitę inspirasti · iube materiale corpus Fortunati reducto calore in viventem animam iterum reformari · quo trina nostri resuscitacio · tibi in laudem vertatur trinitas veneranda · 6 (IX 26)

IOHANNES · Amen ·

1 sorde fuit] *ita M (*fuit *lin. subducta del.),* fuit sorde// (r *supr. lin.) C.* delicti] *ita M (sine interp. sequ.),* dilecti *C.* **6** gratiæ · et pietatis *C.* **9** morte priuaretur *C.* **10** *Post* delectatur *eras.* in *M.* **14** ex – in *desunt C.* **19** domino *C.* **20** uerę *M.* **21** materie *C.* **22** spiracula *C.* **25** ad laudem referatur *C.*

DRUSIANA · Expergiscere Fortunate · et iussu Christi retinacula mortis disrumpe · [X] 7 (IX 27)

FORTUNATUS · Quis me apprehensa manu erexit? quis vocem · ut resurgerem dedit?

5 IOHANNES · Drusiana ·

FORTUNATUS · Num me suscitavit Drusiana?

IOHANNES · Ipsa ·

FORTUNATUS · Nonne ante aliquot dies inprovisa morte fuerat consumpta?

10 IOHANNES · At nunc vivit in Christo ·

FORTUNATUS · Et cur manet Calimachus gravi vultu modestus · nec perfurit solito more in amore Drusianę?

IOHANNES · Quia a nequam intentione transmutatus · vere est Christi discipulus ·

15 FORTUNATUS · Non ·

IOHANNES · Etiam ·

FORTUNATUS · Si ut asseris Drusiana me suscitavit · et Calimachus Christo credit · vitam repudio · mortemque sponte eligo · quia malo non esse · quam in his tantam 20 habundanter virtutum gratiam sentiscere · 8 (IX 28)

IOHANNES · O admiranda invidia diaboli · o malitia serpentis antiqui · qui et protoplastis mortem propinavit · et super iustorum gloria semper gemit · Iste infelicissimus Fortunatus · diabolicę amaritudinis felle plenissi-25 mus · comparatur malę arbori · amaros fructus facienti · Unde excisus a collegio iustorum · et abiectus a consortio 9 (IX 29)

8 aliquos *C.* fuerat morte *C.* **10** nunc] *ita C, deest M.* uiuit *mut. in* uiuet *C.* **13** aneq̊ *C.* **17** me drusiana *C.* **18** credit] *ita C,* credidit *M.* **19** sponte eligo] *ita C,* eligo sponte *(sign. invert.) M.* tantam *corr. ex* tantum *M.* **20** habundantem gratiam uirtutum sentire *C.* **21** admiranda *deest C.* invidia diaboli] *ita C,* diaboli inuidia *M.* **22** prothoplasto *C.* **23** gloria semper] salutem *C.* iste *M.* **25** male comparatur *C.* amaros] am/ros *(eras. o?) C.* **26** unde *M.*

deum timentium · mittatur in aeterni ignem supplicii · [X 9 (IX 29)]
fol. 101r cruciandus sine alicuius intermixtione | refrigerii ·
ANDRONICHUS · Ecce turgescentibus serpentinis morsibus ad occasum rursus vergitur · et citius dicto morietur · 10 (IX 30]
5 IOHANNES · Moriatur · sitque incola gehenne · qui propter alieni invidiam profectus recusavit vivere ·
ANDRONICHUS · Terribile ·
IOHANNES · Nihil terribilius invido · nihil scelestius superbo · 11 (IX 31)
10 ANDRONICHUS · Uterque miserabilis ·
IOHANNES · Una eademque persona · utroque semper laborat vitio · quia neutrum sine altero ·
ANDRONICHUS · Expone enucleatius ·
IOHANNES · Nam qui superbit invidet · et qui invidet
15 superbit · quia mens invida dum alienam laudem nec patitur audire · et in sui comparatione perfectiores ambit vilescere · dedignatur subici dignioribus · et superbe conatur preferri comparibus ·
ANDRONICHUS · Patet ·
20 IOHANNES · Unde iste miserrimus vulnerabatur mente · 12 (IX 32)
quia se his inferiorem estimari non sustinuit · in quis ampliorem dei gratiam lucere non nescivit ·
ANDRONICHUS · Nunc tandem intellego · quod inter surgentes minime est computatus · quia ocius erat mori-
25 turus ·

1 supplitii *M.* **2** crutiandus *M.* intermissione *C.* **4** vergitur] uertetur *C.* **6** aliene inuidiam salutis profecto *C.* **8** terribilius] deterius *C.* celestius *C!* **13** ANDRONICHUS] *deest M,* An · *suppl. Celt. in marg., recte, ut declarat C.* Ea expone *C.* **14** IOHANNES] *deest M,* Io · *suppl. Celt. in marg., recte, ut declarat C.* **15** nec] non *C.* **20** misserrimus iste *C.* **21** quis] quibus *C.* **23** intelligo *C.* **24** otius *M,* potius *(an recte?) C.*

IOHANNES · Dignus est enim utraque morte quia et [X 12 (IX 32)]
commendatum funus afficiebat iniuria · et resurgentes
iniusto insectabatur odio ·

ANDRONICHUS · Infelix est mortuus ·

5 IOHANNES · Recedamus · suumque diabolo filium re- 13 (IX 33)
linquamus · Nos autem diem istum · et pro miranda Cali-
machi mutacione · et pro utriusque resuscitatione · cum
lęticia agamus · gratias ferentes deo · ęquo iudici · secre-
torumque discretissimo cognitori · qui solus omnia subti-
10 liter examinans · omnia recte disponens · unumquemque
fol. 101v iuxta quod dignum prenoscit · praemiis | suppliciisve ap-
tabit · Ipsi soli honor · virtus · fortitudo · et victoria · laus
et iubilatio · per infinita saeculorum saecula · Amen ·

---

2 afficiebat] *ita C*, affitiebat *M.* 3 sectabatur *C.* 5 suumque] que *deest C.* relinquamus filium *C.* 6 nos *M.* 7 resuscitatione] *ita C, corr. ex* suscitatione *M.* 8 agamus] agentes *C.* 10 exanimans *C.* 11 iuxta – suppliciisve] dignum iuxta quod esse prenoscit · premiisue suppliciis *C.* supplitiisue *M.* 13 saeculorum *deest C.*

LAPSUS ET CONVERSIO MARIĘ NEPTIS HABRAHĘ HEREMICOLĘ ·

quę ubi viginti annos solitariam vitam egit · corrupta virginitate seculum repetiit · et contubernio meretricum ad-
5 misceri non metuit · sed post biennium praefati Abrahę monitis illam sub amatoris specie querentis reducta larga effusione lacrimarum continuaque exercitatione ieiuniorum vigiliarum atque orationum · per vicenos annos emundavit maculas criminum ·

---

10 ## Abraham · Effrem · Maria

⟨Abraham ·⟩ Tune frater · et coheremita Effrem commodum ducis · meę adhuc confabulationi vacare · an quoadusque divinas expleas laudes me vis praestolari? I 1

Effrem · Nostrorum confabulatio · eius debet esse
15 laudatio · qui se congregatis in suo nomine medium spopondit interesse ·

Abraham · Nihil aliud locuturus accessi · nisi quod divinę voluntati non nescio concordari ·

Effrem · Quare nec ad momentum quidem me sub- 2
20 traho · sed tuo affectui totum dedo ·

Abraham · Quiddam agendum mihi exestuat mente · in quo tuum velle meis votis exopto respondere ·

1–9 *desunt C.* **1** *Post init. litt.* L *minusculis pergit M.* **8** aque *M.* **9** *Ultima tria verba argumenti in marg. dext. deorsum scrips. M.* **10** ABRAHAM · EFFREM · MARIA] *prima quaeque litt. deest C.* **11** Tune] *ita (init. litt.) M,* T *deest C.* **12** dulcis *C.* adhuc *deest (an recte?) C.* confubulationi *C.* **13** laudes] horas *C.* praestolari] *ita C,* postulari *mut. in* postolari *M.* **14** Nostrorum] *ita M (corr. ex* Nostra*?),* Nostra *C.* confubulatio *C.* **20** totum] me totam *C.*

EFFREM · Si unum cor · unaque nobis anima iubetur [I 2]
esse · idem velle · idemque cogimur nolle ·
ABRAHAM · Est mihi neptis tenella · utriusque parentis 3
solamine destituta · in quam pro compassione orbitatis
5 nimio affectu ducor · cuiusque causa continua sollicitudine fatigor ·
fol. 102r EFFREM · Et quid tibi triumphator saeculi · cum curis mundi?
ABRAHAM · Id scilicet curo · ne inmensa eius serenitas
10 pulchritudinis · alicuius obfuscetur sorde coinquinationis ·
EFFREM · Huiusmodi cura si est vituperanda ·
ABRAHAM · Spero ·
EFFREM · Cuius est aetatis?
ABRAHAM · Si unius rotatus mansurni apponeretur · 4
15 duas olympiades vitali aura vesceretur ·
EFFREM · Inmatura pupilla ·
ABRAHAM · Ideo non deest mihi cura ·
EFFREM · Ubi deget?
ABRAHAM · In meis mansiunculis · Nam rogatu pro-
20 pinquorum nutriendam eam suscepi · sed eius gazas pauperibus erogare decrevi ·
EFFREM · Despectio temporalium condecet animum cęlo intentum ·
ABRAHAM · Exaestuo mente · gestiens illam Christo 5
25 desponsari · eiusque tyrocinio mancipatum iri ·

1 EFFREM] A · (= Abraham) *C.* uidetur *C.* 5 eiusque *C.* **8** *Puncto simpl. interr. claud. M.* **9** scilicet *deest C.* **11** si] non *C.* **13** est *corr. ex* ast *M.* **14** mansura *C.* **16** puella *C.* **18** deget] *ita C,* deget *mut. in* degit *man. post. M.* **19** nam *M.* **20** eam nutriendam *C.* 25 desponsari] *ita C,* dispensari *M.* mancipatam *C.* iri] ire *C, M. At* iri *coniciendum esse docent Gall. I 4,4 et 14,4; Dulc. 11,2; Pafn. 10,5; Sap. 5,30 (duo exempla); gest. praef., 11 (p. 273,2).*

EFFREM · Laudabile · [I 5]

ABRAHAM · Cogor nomine ·

EFFREM · Quid vocatur?

ABRAHAM · Maria ·

5 EFFREM · Maria?

ABRAHAM · Ita ·

EFFREM · Tanti excellentiam nominis decet stemma virginitatis ·

ABRAHAM · Non diffido · quin si nostris suaviter horta- 6
10 mentis provocetur ad cedendum facilis experiatur ·

EFFREM · Accedamus · eiusque cogitacioni cęlebis securitatem vitę instillemus ·

ABRAHAM · O adoptiva filia · o pars animę Maria · **II** 1
cede meis paternis monitionibus · meique comparis Ef-
15 frem saluberrimis institucionibus et nitere · ut auctricem virginitatis · quam ęquivoco aequiperas nomine · imiteris et castitate ·

EFFREM · Multum disconvenit filia · ut quę cum dei 2
fol. 102ᵛ genitrice Maria · per mysterium nominis praemines | in
20 axe inter sidera numquam casura · inferior meritis terrae volutes in fimis ·

MARIA · Misterium nominis ignoro · unde quid circuitione verborum significes · haut intellego ·

5–7 *Ita C* (5 *puncto simpl. interr. claud.*); EFFREM · Ita est? Tanti *etc. M.* 7 nominis excellentiam *C.* **10** ad cedendum] *ita C* (ced *in ras.?*), adcedendum *corr. ex* adedendum *M.* **11** uite securitatem *C.* **15** et nitere] *ita C,* enitere *(an recte?) M.* **16** imiteris] sequaris similis *C.* **19** in] *ita C;* ix *M,* in *scr. supr. lin. Celt.* **20** inferior *deest C.* terre *C,* interrę *M.* **21** uoluteris *C.* infimis *(an recte?) M.* **22** circuicionie *mut. ex* circuicionis *C.*

EFFREM · Maria interpretatur 'maris stella' · circa [II] 3
quam videlicet fertur mundus · et rotatur polus ·

MARIA · Cur maris stella dicitur?

EFFREM · Quia numquam occidit · sed navigantibus
5 recti semitam itineris dirigit ·

MARIA · Et qui posset fieri · ut ego tantilla ex lutea 4
materia confecta · eo attingerem meritis · quo mysterium
rutilat nominis?

EFFREM · Illibata corporis integritate · puraque mentis
10 sanctitate ·

MARIA · Grandis est honoris · hominem aequari astrorum radiis ·

EFFREM · Nam si incorrupta et virgo permanebis · an- 5
gelis dei fies aequalis · quibus tandem stipata · gravi cor-
15 poris onere abiecto · pertransies aera · supergradieris
ęthera · instabilemque planetarum · et cursum perlu-
strans solis · ducta per semitas zodiacum percurres circu-
lum · nec subsistendo temperabis gressum · donec iunga-
ris amplexibus filii virginis · in lucifluo thalamo sui geni-
20 tricis ·

MARIA · Qui hęc parvi pendit · asinum vivit · unde 6
praesentia despitio · memet ipsam denego · quo merear
ascribi gaudiis tantę felicitatis ·

1 maris stella] *ita C*, stella maris *M.* circa – polus *desunt C.*
2 et uocatur populvs *M.* 3 stella maris *C.* 5 itineris semitam
C. 6 quid *C.* 8 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 9 uirginitate *C.*
13 uirgo dei *C.* 15 abiecto] *ita C*, abiecta *M.* pertransieris *C.*
16 instabilemque – semitas] *ita C* (cursum *corr. ex* lustrum)*; desunt M.* 18 subsistændo *C.* iungaris] *ita C*, amplexaris *M.*
19 sue *C.* 21 paruipendit *C*, paruipendet *M.* asinum] pæor *C.*

EFFREM · Ecce nanciscimur in pectore infantili · senilis maturitatem ingenii · [II 6]

ABRAHAM · Gratia dei est · id quod est ·

EFFREM · Negari nequit ·

5 ABRAHAM · Sed licet dei gratia sit illustrata · inbecillem tamen aetatem suo uti non prodest arbitrio · 7

fol. 103r EFFREM · Verum ·

ABRAHAM · Ideo faciam illi exiguam absque introitu cellulam meis mansiunculis contiguam · per cuius fene-
10 stram psalterium · ceterasque divinę legis paginas illam crebrius visitando instruam ·

EFFREM · Convenit ·

MARIA · Tuo pater Effrem interventui me committo · 8

EFFREM · Cęlestis sponsus · cuius affectu in tenella ae-
15 tate inhesisti · tueatur te filia · ab omni fraude diabolica ·

ABRAHAM · Frater Effrem · si quid mihi utriusque casu fortunę ingeritur · te primum adeo · te solum consulo · unde ne sis adversus querimonię quam prosequor · sed fer opem dolori quem patior · III 1

20 EFFREM · Abraham Abraham · quid pateris? cur plus licito contristaris? Numquam fuit fas heremicolę conturbari secularium more · 2

1 nasci in pectore infantili sentimus senilis *C.* 4 Negari] *ita C,* Negare *M.* 8 exiguam – cellulam] cellulam exiguam absque introitu *C.* absque] *ita C,* ab *M.* 9 meis *corr. ex* men *M.* fenestras *C!* 14 affectui *C.* 15 diabolica] ita *C,* diaboli *M.* 21 licito] solito *C.* numquam *M.* fuit fas *desunt C.* heremicule conuenit turbari *C.*

ABRAHAM · Incomparabilis luctus mihi contigit · intolerabilis dolor me afficit · [III 2]

EFFREM · Ne fatiga me longa verborum circuitione · sed quid patiaris expone ·

5 ABRAHAM · Maria mis optima filia · quam per bis bina lustra · summa diligentia nutrivi · summa solertia instruxi · 3

EFFREM · Quid illa?

ABRAHAM · Ei mihi · periit ·

10 EFFREM · Qualiter?

ABRAHAM · Miserabiliter · deinde evasit latenter ·

EFFREM · Quibus insidiis circumvenit eam fraus antiqui serpentis? 4

ABRAHAM · Per illicitum cuiusdam simulatoris affec-
15 tum · qui monachico adveniens habitu simulata eam visitacione frequentabat · donec indocile iuvenilis ingenium pectoris ad sui amorem inflexit · adeo ut per fenestram
fol. 103v ad patrandum facinus exiliret ·

EFFREM · A · contremisco auditu ·

20 ABRAHAM · At ubi ipsa infelix se corruptam sensit · pectus pulsavit · faciem manu laceravit · vestes scidit · capillos eruit · voces in altum eiulando dedit · 5

EFFREM · Nec iniuria · huiusmodi namque ruina · toto lacrimarum fonte est lugenda ·

25 ABRAHAM · Lamentabatur namque se quod fuerat non esse ·

EFFREM · Ve illi miserę ·

1 intorabilis *C.* **3** fatiges *C.* **5** optima] *ita C,* optiua *M.* bina bis *C.* **9** mihi *sine interp. sequ. M.* **15** monachio *C.* **18** exiliret] *ita C, corr. ex* exiliuit *M.* **19** A] *deest C, sine interp. sequ. M.* **22** eiulando *(corr. ex* euigilando*)* in altum *C.* **23** Nec – lugenda] Hec in ruina huiusmodi enim ruina toto est lacrimarum fonte languenda *C.*

ABRAHAM · Lugebat se nostris contraria monitis egisse · [III 5]
EFFREM · Ac valde ·
ABRAHAM · Deflevit se vigiliarum · orationum · ieiuniique sudores evacuasse ·
5 EFFREM · Si in tali conpunctione perseveraret · salva fieret ·
ABRAHAM · Haut perseveravit · sed peiora prioribus apposuit · 6
EFFREM · Visceratenus conturbor · totisque membris
10 resolvor ·
ABRAHAM · Postquam enim hisce lamentis se punivit · nimietate victa doloris · praeceps ferebatur in foveam desperationis ·
EFFREM · Eh heu · quam gravis perditio ·
15 ABRAHAM · Et quia veniam desperavit posse promereri · saeculum repetere · vanitatique elegit deservire ·
EFFREM · Hem · par victoria spiritalibus in sorte heremitarum nequitiis antea fuit insolita · 7
ABRAHAM · Sed nunc dęmonum sumus praeda ·
20 EFFREM · Mirum qui fieri posset · ut te ignorante evaderet ·
ABRAHAM · Interim fueram consternatus mente · ex ostensę visionis terrore · qua si mens non fuisset laeva · mihi praefigurabatur eius ruina · 8
fol. 104ʳ 25 EFFREM · Vellem modum | visionis audire ·
ABRAHAM · Putabam me ante fores cellulę stetisse · et

1 monitis contraria *C.* 3 Defluit *C.* 4 euacuisse *C.* 12 fertur *C.* 14 heu *sine interp. sequ. M.* 15 promereri posse desperauit *C.* 17 Hem] *ita M (sine interp. sequ.),* Eheu *C.* 22 consternatus mente] *ita C,* mente consternatus · mente · (mente² *del.) M.* 23 ostensę visionis] ostensionis *C.* quasi *M,* qui si *C.* leua *C, M.* 26 fores] *ita C, corr. ex* foras *M.*

ecce draco mirę magnitudinis nimiique foetoris rapido [III 8]
impetu adveniens · candidulam secus me columbam ·
repperiens · cępit · devoravit · subitoque non comparuit ·
EFFREM · Evidens visio ·
5 ABRAHAM · At ego ubi expergiscens · mente quę videbam · tractavi · verebar aliquam ęcclesiae imminere persecutionem · quę fideles · quosdam attraheret in errorem · 9
EFFREM · Verendum erat ·
ABRAHAM · Unde prostratus in orationem pręcognitorem futurorum supplicavi · ut mihi detegeret solutionem somnii · 10
EFFREM · Recte egisti ·
ABRAHAM · Tercia demum nocte cum lassa sopori · membra dedissem · putabam · eundem draconem mei vestigiis · disruptum volutasse · ipsamque columbam absque lęsione emicuisse · 10 15
EFFREM · Letificor auditu · nec ambigo quin tua quandoque ad te revertatur · Maria ·
ABRAHAM · Postquam evigilans · huius solamine visionis · temperabam tristiciam prioris · mentem recepi · ut reminiscerer alumne · illud quoque si sine tristicia memini · quod ipsam in duorum intervallo dierum · divinę innitentem laudi · solito non sensi · 11 20
EFFREM · Sero meministi ·
25 ABRAHAM · Fateor · Accessi · manu fenestram pulsavi · filiam sepius nominando vocavi · 12

2 superueniens *C.* 5 expergiscens] *ita C,* experiscens (g *add. in marg. Celt.*) *M.* tractaui que uidebam *C.* 9 orationem *mut. in* oratione *C.* pręcognitorem *mut. in* pręcognitori *M.* 14 dedissem membra *C.* mei] *ita C,* meis *M.* 15 disrumptum *M.* uoluptasse *C.* 21 reminiscerer] *ita C,* reminiscer *M.* memini *sine interp. sequ. M.* 22 illam interuallo duorum *C.* 23 innitentem · laudi solito *interp. M.* 25 accessi *M.*

EFFREM · A · frustra vocasti · [III 12]

ABRAHAM · Hoc adhuc non sensi · sed cur neglegenter in divinis ageret rogavi · sed nec levis tinnitum responsi · recepi ·

5 EFFREM · Et quid tunc fecisti? 13

fol. 104v ABRAHAM · Ubi abesse quam querebam | deprehendi · viscera discutiebantur timore · membra contremuerunt pavore ·

EFFREM · Nec mirum · certe et ego · id ipsum · nunc 10 patior audiendo ·

ABRAHAM · Deinde flebilibus sonis auras pollui · rogitans quis lupus meam agnam raperet · quis latro meam filiam captivaret · 14

EFFREM · Iure conquestus fuisti eius perditionem 15 quam nutristi ·

ABRAHAM · Tandem accesserunt qui veritatem scientes res sese ita · ut tibi nunc exposui habere · ipsamque vanitati dixerunt deservire · 15

EFFREM · Ubi moratur?

20 ABRAHAM · Ignoratur ·

EFFREM · Quid fiet? 16

ABRAHAM · Est mihi fidelis amicus qui civitates villasque peragrans · non quiescet · donec quę illam terra susceperit · agnoscet ·

25 EFFREM · Quid si experietur?

1 A] *add.* h *man. post. M (sine interp. sequ.),* Ah *C.* 2 hoc *M.* negligenter *C.* 3 interrogaui *C.* responsum *C.* 5 EFFREM] E · *C, deest M.* quid] *ita C,* quod *M. Puncto simpl. interr. claud. M.* 6 ABRAHAM] A · *C, deest M.* ubi *M.* 7 discutiebantur · timore *interp. M.* 11 fletilibus *C.* 12 agnem *C.* 17 ut – habere] habere ut tibi nunc exposui *C.* ipsamque] que *deest C.* 21 Et quid *C.* 23 peragrans] *ita M,* peragrasse *(an recte?) C.* quiescit *C.* 24 agnoscit *C.*

ABRAHAM · Habitum mutabo · ipsamque sub amatoris [III 16]
specie adibo · si forte meo monitu · post grave naufragium revertatur ad pristinę quietis portum ·

EFFREM · Et iam quid fiet si carnium esus vinique 17
5 haustus apponetur?

ABRAHAM · Haut abrogabo · ne agnoscar ·

EFFREM · Recta prorsus laudabilique discretione uteris · si arcioris frenas observantię aliquantisper laxabis · quo errantem Christo lucreris ·

10 ABRAHAM · Eo magis ad audendum incitor · quo te mihi in hoc concordari re experior ·

EFFREM · Qui clancula cordium cognoscit · qua inten- 18
tione unaqueque res geratur intellegit · Nec in discretissimo eius examine reus praevaricationis habetur · qui a
15 strictioris rigore conversationis ad tempus descendendo ·
fol. 105r imbecillioribus assimilari non respuit · | quo efficatius animam revocet quę erravit ·

ABRAHAM · Tuum est interim me precibus adiuvare ne 19
inpediar diabolica fraude ·

20 EFFREM · Ipsum summum bonum · sine quo nihil fit boni · faciat tuum velle in bono consummari ·

---

1 ipsamque] que *deest C.* 2 specię *M.* 3 portum] statum *C.* 4 EFFREM] E · *C, corr. ex* A · *(=* Abraham*) M.* æsus *M.* 5 potus · apponitur? *C.* 6 agnoscatur *C.* 7 discretionis *C.* 8 frenas] *ita C, M!* laxabis *sine interp. sequ. M,* laxaueris · *C.* 10 audendum] *ita C, corr. ex* audiendum *Celt. in M.* incitor quo te mihi · *interp. M.* 11 in hac re concordari *(an recte?) C.* 12 et qua *C.* 13 in discretissimo] *ita C, corr. ex* indiscretissima *man. post. M.* 14 examine] *ita C, corr. ex* exanime *M.* qui a strictioris] quia *(corr. in* qui a *Celt.)* strictionis *M,* qui etiam districtioris *C.* 16 assimilari] *mut. in* assimvlari *M,* adsimilari *(*d *in ras.) C.* quo *deest C.* 18 precibus me *C.* 21 tuum *deest C.*

ABRAHAM · Num ille est meus amicus · quem ante hoc biennium pro inquisitu direxi Marię? Ipse est · **IV** 1

AMICUS · Ave venerande pater ·

ABRAHAM · Ave affabilis amice · diu te sustinui · sed
5 nunc advenire desperavi ·

AMICUS · Ideo moram feci · quia te ambigua re sollicitari · non praesumpsi · at ubi veritatem investigavi · reditum maturavi · 2

ABRAHAM · Vidistin Mariam?

10 AMICUS · Vidi ·

ABRAHAM · Ubi?

AMICUS · In proxima civitate ·

ABRAHAM · Cum quibus moratur · quibusque assimilari nititur?

15 AMICUS · Piget dicere ·

ABRAHAM · Quare?

AMICUS · Quia dictu miserabile ·

ABRAHAM · Dic obsecro ·

AMICUS · In domo cuiusdam lenonis habitationem ele- 3
20 git · qui tenello amore illam colit · Nec frustra · nam omni die non modica illi pecunia ab eius amatoribus adducitur ·

ABRAHAM · A Marię amatoribus?

AMICUS · Ab ipsis ·

25 ABRAHAM · Qui sunt eius amatores?

1 amicus meus *C.* biennium hac *C.* **2** inquisitudine rexi *C! Puncto simpl. interr. claud. M.* est *deest C.* **4** ineffabilis *C! Post* amice *interp. eras. M.* **6** ambiguum *C.* **7** *Post* sollicitari *interp. eras. M.* **9** Vidisti *C.* **12** AMICUS · In proxima – Quare? *(lin. 16) desunt M.* **13** asimilari *C.* **17** Quia] *ita C,* quia *mut. in* qua *M.* **18** obsecro *sine interp. sequ. M.* **19** leonis *C!* **20** illam amore *C.* nec *M.* **23** A *deest C.*

AMICUS · Perplures · [IV 3]

ABRAHAM · Ei mihi · O bone Iesu · quid hoc monstri 4
est · quod hanc quam tibi sponsam nutrivi · alienos amatores audio sequi ·

5 AMICUS · Hoc meretricibus antiquitus fuit in more · ut alieno delectarentur in amore ·

ABRAHAM · Affer mihi sonipedem delicatum · et mili- 5
tarem habitum · quo deposito tegmine religionis · ipsam adeam sub specie amatoris ·

fol. 105ᵛ 10 AMICUS · Ecce omnia ·

ABRAHAM · Affer obsecro et pilleum · quo coronam velem capitis ·

AMICUS · Hoc maxime opus est ne agnoscaris ·

ABRAHAM · Quid si unum solidum quem habeo · me- 6
15 cum afferam · quo stabulario pro mercede tribuam?

AMICUS · Aliter ad colloquium Marię non potes pervenire ·

ABRAHAM · Salve bone stabularie · V 1

STABULARIUS · Quis loquitur hospes? salve ·

20 ABRAHAM · Estne aput te locus viatori ad pernoctandum aptus?

STABULARIUS · Est plane · nostra hospiciola · nulli sunt neganda ·

ABRAHAM · Laudabile ·

2 qui *C.* 5 AMICUS *deest C.* antiquitus *deest C.* in more fuit *C.* 6 in *expunx. M.* 11 Obsecro affer *M.* 11 uelem *corr. ex* uellem *M.* 14 Quid] *ita C, corr. ex* Qui *M.* 16 uenire *C.* 18 Aue *C.* 19 loquitur? hospes *interp. C.*

STABULARIUS · Intra · ut tibi praeparetur cena · [V 1]
ABRAHAM · Magnas grates tibi pro hilari susceptione 2
debeo · sed adhuc maiora a te expeto ·
STABULARIUS · Quę voles · ut concessurum efflagita ·
5 ABRAHAM · Accipe vile munus quod defero · et fac ut praepulchra quam tecum observari experiebar puella · nostro intersit convivio ·
STABULARIUS · Cur illam desideras videre?
ABRAHAM · Quia nimium delector in eius agnitione · 3
10 cuius pulchritudinem a quam pluribus laudari audiebam sepissime ·
STABULARIUS · Quisquis laudator eius formę extitit nihil fefellit · nam praenitet venustate vultus · prae ceteris mulieribus ·
15 ABRAHAM · Ideo ardeo in amore eius ·
STABULARIUS · Miror te in decrepita senectute · iuvenculę mulieris amorem spirare ·
ABRAHAM · Percerte nullius alius rei causa accessi · nisi eam videndi ·

1 Intra] *ita C, corr. ex* Intro *M.* praeparetur] *ita C,* praeparatur *M.* cęna *M.* 2 Magnas] *ita C, mut. in* Magna *Celt. in M.* grates] *ita C, deest M.* 3 expecto *C.* 5 deffero *M.* 6 observari] *ita C, M;* obversari *coni. C. Magnin, Théâtre de Hrotsvitha, Paris 1845, p. 250.* 10 a quam pluribus] quam pluribus *mut. in* a pluribus *M,* quam a puluribus *C.* 13 se fefellit *C.* venustate vultus] uenusta uultu *(mut. ex* uultus*) M,* uenusto uultu *C.* 14 mulierib · *sine interp. sequ. M.* 15 amore eius] *ita C,* eius amore *M.* 17 sperare *C.* 18 nullius alius] alterius *C.* non accessi *C.* 19 eam ineam uidendi *C.*

STABULARIUS · Procede · procede Maria · tuique pulchritudinem nostro neophitae ostende · VI 1

MARIA · Ecce venio ·

ABRAHAM · (Secum dicit ·) Quę fiducia · quę constantia
5 mentis mihi post hęc · cum hanc quam nutrivi in heremi
fol. 106r latibulis meretricio cultu ornatam conspicio? Sed non est tempus ut praefiguretur in facie · quod tenetur in corde · erumpentes lacrimas viriliter stringo · et simulata vultus hilaritate internę amaritudinem mestitudinis contego ·

10 STABULARIUS · Fortunata Maria letare · quia non solum ut actenus tui coaevi · sed etiam senio · iam confecti te adeunt · te ad amandum confluunt · 2

MARIA · Quicumque me diligunt · ęqualem amoris vicem a me recipiunt ·

15 ABRAHAM · Accede Maria · et da mihi osculum ·

MARIA · Non solum dulcia oscula libabo · sed etiam crebris senile collum amplexibus mulcebo ·

ABRAHAM · Hoc volo ·

MARIA · Quid sentio? quid stupendę novitatis gu- 3
20 stando haurio? Ecce odor istius flagrantię praetendit flagrantiam mihi quondam usitate abstinentię ·

ABRAHAM · Nunc nunc est · simulandum · nunc lascivientis more pueri iocis instandum · ne et ego agnoscar prae gravitate · et ipsa se reddat latibulis prae pudore ·

1 tuique] que *deest C.* 2 neophite *C,* neophite *mut. in* neophito *M.* ostende] *ita C, corr. ex* osten// *man. post. (sine interp. sequ.) M.* 4 Secum dicit · *desunt M,* dixit · *C.* 5 post] potest *C.* 6 uultu *C, M.* sed *M,* et *C.* 7 detinetur in mente *C.* 8 restingo *C.* 9 ineterne *C.* 10 Fortanata *C.* 11 coeui *C, M.* 14 a me *desunt C.* 17 senile] *corr. ex* senille *M,* fenile *C.* mucebo *C.* 18 hoc *M.* 20 istius *deest C.* flagrantię *corr. in* fragrantię *man. post. M.* pretentit *C.* flagrantiam *corr. in* fragrantiam *man. post. M.* 22 Nunc nunc est] *ita C,* Nunc ÷ nunc ÷ *M.* similandum *C.* 23 et ego *desunt C.*

MARIA · Ve mihi infelici · unde cecidi · et in quam [VI 3]
perdicionis foveam corrui ·

ABRAHAM · Hic non est aptus querelę locus · ubi con- 4
vivarum confluit conventus ·

5 STABULARIUS · Domna Maria cur suspiria trahis? cur
mades lacrimis? Nonne per biennium · hic conversabaris ·
et numquam ex te gemitus prorupit · numquam tristior
sermo prodiit?

MARIA · O utinam fuissem ante biennium morte ab- 5
10 sumpta · ne ad tanta devenirem flagitia ·

ABRAHAM · Non ut tua tecum peccata plangerem ad-
veni · sed ut tuo iungerer amori ·

MARIA · Levi compunctione permovebar · ideo talia fa-
bar · sed epulemur · et letemur · quia ut monuisti · hic
15 non est tempus peccata plangendi ·

fol. 106v ABRAHAM · Affatim | refecti affatim sumus inebriati · 6
tua largitate administrante · o bone stabularie · da licen-
tiam a cena surgendi · quo lassum corpus in stratu com-
ponam · dulcique quiete recreem ·

20 STABULARIUS · Ut libet ·

MARIA · Surge domine mi · surge · tecum pariter ten-
dam ad cubile ·

ABRAHAM · Placet · Nullatenus cogi possem · ut te non
comitante exirem ·

---

1 et *deest C.* 3 locus querele aptus (aptus *signis ante* locus *pos.) C.* 5 Dña *C.* *Puncto simpl. interr. claud. M.* 6 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 7 ex tristior *C.* 9 biennium] *ita C;* trium *M,* annorum spatia *add. supr. lin. man. post.* asumpta *C.* 15 tempus] locus *C.* 16 affatim[2]] affactim *C.* inebriati] *ita C,* hebriati *M.* 17 stabularie] *ita C,* stabulari/ *M.* 18 surgendi acena *C.* cęna *M.* stratu] *ita C,* stratum *M.* 19 quieti *C.* 20 libet *sine interp. sequ. M.* 21 pariter *deest C.* 23 ut – comitante] ut te comitante non *M (*comitante non *sign. invert. Celt.),* non te commitante ut *C.*

MARIA · Ecce triclinium ad inhabitandum nobis aptum · ecce lectus haut vilibus stramentis compositus · Sede ut tibi detraham calciamenta · ne tu ipse fatigeris discalciando · VII 1

5 ABRAHAM · Muni prius seris ostium · ne quis introeundi inveniat aditum ·

MARIA · Super hoc ne sollicíteris · faciam ut nulli ad nos tribuatur accessus facilis ·

ABRAHAM · Tempus ablato capitis velamine · quis sim aperire · O adoptiva filia · o meę pars animę Maria · agnoscisne me senem · qui te paterno more nutrivi · qui te cęlestis regis unigenito desponsavi? 2

MARIA · Ei mihi · pater et magister meus · Abraham est qui loquitur ·

15 ABRAHAM · Quid contigit tibi filia? 3

MARIA · Gravis miseria ·

ABRAHAM · Quis te decepit · quis te · seduxit?

MARIA · Qui protoplastos prostravit ·

ABRAHAM · Ubi est angelica illa quam in terris egisti conversatio?

MARIA · Prorsus perdita ·

ABRAHAM · Ubi est verecundia tua virginalis? ubi continentia admirabilis?

MARIA · Evacuata ·

25 ABRAHAM · Quam mercedem nisi resipiscas · pro ieiu- 4

1 MARIA · *deest C.* 2 compositus] *ita M (sine interp. sequ.),* nobis *(supr. lin.)* compositus *C.* 4 discalciando] *ita C,* discalciendo *M.* 5 Muni] *ita C, mut. in* Mune *man. post. M.* 7 Ne super hoc *C.* 8 facilis tribuatur accessus *C.* 9 Tempus est *C.* 10 O adoptiva] Optima *C.* 11 agno·cisne *M.* amore *C.* 12 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 13 mihi pater · *interp. M.* 14 loquitur? *interp. C.* 15 tibi *deest C.* 17 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 18 prothoplastos *C.* 19 illa angelica *C.* 20 conseruatio *C. Puncto simpl. interr. claudit M.* 22 continentia tua *C.*

niorum · orationum · vigiliarum · sudore ultra potes sperare · cum velut lapsa ab altitudine cęli · dimersa es in profundum inferni? [VII 4]

MARIA · Eh heu ·

5 ABRAHAM · Quare me despexisti · quare deseruisti · quare eventum tuę perditionis mihi non indicasti · quo ego cum dilecto meo Effrem · dignam pro te poeni|tentiam agerem? 5 *fol. 107r*

MARIA · Postquam lapsa in peccatis corrui · tuę sancti-10 tati polluta proximare non praesumpsi ·

ABRAHAM · Quis umquam a peccato extitit immunis · nisi solus filius virginis? 6

MARIA · Nullus ·

ABRAHAM · Humanum est peccare · diabolicum est in 15 peccatis durare · nec iure reprehenditur · qui subito cadit · sed qui cicius surgere neglegit ·

MARIA · Ei mihi infelici ·

ABRAHAM · Cur decidis · cur in terra iaces inmobilis? Erigere et quę dicam percipe · 7

20 MARIA · Pavore concussa corrui · quia vim paternę monitionis ferre nequivi ·

ABRAHAM · Attende mei in te dilectionem · et depone timorem ·

MARIA · Nequeo ·

25 ABRAHAM · Nonne tui causa desiderabilem heremi habitationem reliqui · omnemque regularis observantiam 8

1 ultro *C.* 2 emersa *C.* 3 infernum *C.* 4 Ehev *C.* 5 despexisti? *interp. C.* *Post* quare[2] *add.* me *C.* deseruisti? *interp. C.* 6 ęuentum *M,* mihi euentum *C.* 7 cum *deest C.* dilecto meo · effrem · *interp. M.* pęnitentiam *M.* 10 adproximare *C.* 12 uirginis filius *C.* 14 est[2] – durare] *ita M,* perseuerare *C.* 18 cecidisti *C.* 19 erigere *M.* dico *C.* 21 admonicionis sufferre *C.* 25 heremi *deest C.* 26 obseruantiam · *interp. M.*

conversationis propter te evacuavi · in tantum · ut ego ve- [VII 8]
tus heremicola · factus sum lascivientium conviva · et qui
diu silentio studebam iocularia verba · ne agnoscerer pro-
ferebam? Cur dimisso vultu terram inspicis · cur respon-
5 dendo · mecum verba miscere dedignaris?

MARIA · Proprii conscientia reatus confundor · ideo 9
nec oculos ad cęlum levare · nec sermonem tecum prae-
sumo conserere ·

ABRAHAM · Noli diffidere filia · noli desperare · sed
10 emerge de abysso desperationis · et fige in deo spem
mentis ·

MARIA · Enormitas peccatorum prostravit me in despe-
rationis profundum ·

ABRAHAM · Peccata quidem tua sunt gravia · fateor · 10
15 sed superna pietas maior est omni creatura · Unde tricas
rumpe datumque poenitendi spaciolum · pigritando noli
neglegere · quatinus superhabundet divina gratia · ubi su-
perhabundavit facinorum abominatio ·

MARIA · Si ulla promerendae spes veniae inesset · stu-
20 dium poenitendi minime deesset ·

ABRAHAM · Miserere mei quam pro te subii lassitudi- 11
nis · et depone perniciosam desperationem · quam omni-

1 propter te] per te *C*, pene *M*. in tantum · ut] *ita M*, et *C*. 2 hermicula *C*. 3 silenciam *C*. iacularia *C*. 4 *Puncto simpl. interr. claud. M*. 6 reatus consciencia *C*. 7 nec] neo *C*. comsumo *C*. 10 emerge] surge *C*. fioe *C*. 11 mentis *sine interp. sequ. M*. 14 Peccata – gravia] Grauia quidem sunt peccata tua *C*. fateor *deest C*. 15 tricas] *ita C*, triscas *mut. in* tristicias *M*. 16 penitendi *C*, *M*. 17 neglere *M*, negligere *C*. quatenus *C*. divina] di·|na *M*, *deest C*. 18 facinorum] satanorum *C*. abuminatio *M*, abhominatio *C*. 19 promerendae – inesset ·] promerendę spę suę uenię · inesset *M*, promerende uenie spes inesset *C*. studium · pęnitendi *interp. M*. 21 mei] *ita C*, meę *M* (*cf. Gall. I 1,2 etc.*). 22 de pone *corr. ex* de pęne *M*, de pone *C*.

bus commissis · non nescimus esse graviorem · Qui enim [VII 11]
fol. 107v peccantibus | deum misereri velle desperat · inremediabiliter · peccat · quia sicut scintilla silicis pelagus nequit inflammare · ita nostrorum acerbitas peccaminum · di-
5 vine dulcedinem benignitatis non valet inmutare ·

MARIA · Non enim supernae magnificentiam pietatis 12 nego · sed proprii enormitatem sceleris considerando · ad dignę satisfactionem poenitentiae vereor non sufficere ·

ABRAHAM · In me sit iniquitas tua · tantummodo re-
10 vertere ad locum unde existi · et ini secundo conversationem · quam deseruisti ·

MARIA · In nullo umquam tui renitor votis · sed quę 13 iubes obtemperanter amplector ·

ABRAHAM · Nunc fateor te vere meam quam nutrivi fi-
15 liam · nunc · censeo te · prae omnibus fore diligendam ·

MARIA · Aliquantulum auri vestiumque possideo · 14 quid tua de his auctoritas decreverit expecto ·

ABRAHAM · Quę adquisisti peccando · cum ipsis peccatis sunt abicienda ·

20 MARIA · Rebar pauperibus eroganda seu sacris esse altaribus offerenda ·

ABRAHAM · Non satis acceptabile · munus deo esse comprobatur · quod criminibus adquiritur ·

MARIA · Nulla super his ultra sollicitudine fatigar ·

25 ABRAHAM · Matuta nitescit · lucessit · abeamus · 15

1 non nescimus esse] cognoscimus *C.* qui *M.* **3** nequit *M.* **6** supernę *M,* super me *C.* **7** proprię normitatem *M,* pe enormitatem *C.* **8** satisfactionem] *ita C,* factis factionem *M.* pęnitentię *M.* non *deest C.* **12** umquam *deest C.* renitor tui *C.* **14** meam *deest C.* **15** omibus *C.* **17** requirit decreuerit *C.* **18** cum – sunt] sunt cum ipsis peccatis *C.* **20** altaribus esse *C.* **21** offerend/ *M.* **24** frangar *C.* **25** Matutina *C.* abeamus quia lucessit *C.*

MARIA · Tuum est pater amande ut ad instar boni pa- [VII 15]
storis · praecedas repertam ovem · et ego paribus ince-
dens vestigiis · subsequor praecedentem ·
ABRAHAM · Haut ita sed ego pedibus incedam · te au-
5 tem · equo superponam · ne itineris asperitas · secet tene-
ras plantas ·
MARIA · O · quem te memorem · quam tibi gratiarum · 16
inpendam reconpensationem · qui me indignam · misera-
tione non terrore cogis · sed miti · condescensione ad
10 poenitentiam hortaris ·
ABRAHAM · Nihil aliud a te expeto · nisi ut reliquum
vitę inhaerendo insistas dei obsequio ·
MARIA · Spontanea mente inhaeream · pro viribus in- 17
sistam · et si facultas desit posse · numquam tamen de-
15 erit velle ·
ABRAHAM · Convenit ut quo studio deserviebas vani-
tati · famuleris divinę voluntati ·
MARIA · Fiat precor tuis meritis · ut in me perficiatur
voluntas divinitatis ·
20 ABRAHAM · Maturemus reditum ·
MARIA · Maturemus nam me taedet morarum ·

---

fol. 108r ABRAHAM · Quanta | celeritate asperi difficultatem iti- VIII 1
neris transcurrimus ·

2 repertam precedas *C.* 5 æquo *M.* 8 qui] *ita C, corr. ex* quę *M.* 9 condescentione *M.* 10 penitentiam *C, M.* 12 inherendo insistam *(mut. ex* insistas*) M.* inhaerendo – obsequio] ducas in dei seruicio *C.* 13 inheream *C, M.* 14 facultas *deest C.* 16 studuo *C.* 19 diuine uoluntati *C.* 21 me tedet *M,* tedet me *C.* 22 asperi difficultatem] asperitatem *C.*

MARIA · Quod devote agitur facile perficitur · [VIII 1]

ABRAHAM · Ecce tua deserta cellula ·

MARIA · Ei mihi · Ipsa mei sceleris est conscia · ideo ingredi formido ·

5 ABRAHAM · Et merito · fugiendus est quippe locus in quo hostem sequitur triumphus · 2

MARIA · Et ubi me · decernis conpunctioni vacare?

ABRAHAM · Ingredere in cellulam interiorem · ne vetustus serpens decipiendi · ultra inveniat occasionem ·

10 MARIA · Non contraluctor · sed quę iubes amplector ·

ABRAHAM · Familiarem meum Effrem accedam quo ipse qui solus mecum tuę condoluit perdicioni congaudeat inventioni · 3

MARIA · Competit ·

---

15 EFFREM · Num mihi aliquid affers gaudii? IX 1

ABRAHAM · Ac magni ·

EFFREM · Placet · nec dubito quin Mariam nanciscereris ·

ABRAHAM · Nanciscebar plane · et gaudens reduxi ad 20 ovile ·

EFFREM · Divinę gratia visitationis factum credo ·

ABRAHAM · Procul dubio ·

EFFREM · Vellem scire qualiter iuxta id temporis vitam · moresque ordinaverit · 2

1 agitur] incipitur *C.* **5** quippe *deest C.* **7** decernis me compunctionibus *C.* *Puncto simpl. interr. claud. M.* **8** Ingredere cellam *C.* **9** decipiendi *deest C.* inueniat ultra *C.* **17** tuam mariam *C.* renaciscareris *C.* **19** Nanciscebar] *ita C,* Nanscisebar *mut. ex* Nasciebar *M.* **21** uisitationis gratia *C.*

ABRAHAM · Iuxta meum velle · [IX 2]
EFFREM · Hoc illi expedit · vel maxime ·
ABRAHAM · Quicquid ipsi agendum proposui · quamvis difficile · quamvis grave · haut abrogavit subire ·
5 EFFREM · Laudabile ·
ABRAHAM · Nam induta cilicio continuaque vigiliarum 3 et ieiunii exercitatione · macerata · artissimę legis observatione corpus tenerum animę cogit pati imperium ·
EFFREM · Aequum est ut inique sordes delectationis 10 eliminentur acerbitate castigationis ·
ABRAHAM · Quisquis eius lamenta intellegit · mente vulneratur · quisquis compunctionem sentit · et ipse compungitur ·
EFFREM · Solet fieri ·
15 ABRAHAM · Elaborat pro viribus ut quibus causa fuit 4 *fol. 108v* perditionis · fiat exemplum | conversionis ·
EFFREM · Consequens est ·
ABRAHAM · Nititur ut quanto extitit foedior · tanto appareat nitidior ·
20 EFFREM · Iocundor audiendo · praecordialique letor 5 gaudimonio ·
ABRAHAM · Et merito · Nam falanges angelicę gaudentes dominum laudant · super peccatoris conversione ·
EFFREM · Nec mirum nullius namque iusti magis · de- 25 lectatur · perseverantia · quam impii poenitentia ·
ABRAHAM · Unde in illa tanto iustius laudatur · quanto 6 ultra resipisci posse desperabatur ·

3 quauis *C.* 6 continuataque uigiliarium *C.* 7 exercitatione] *corr. ex* execitatione *M,* exertatione *C.* 8 tenerum corpus *C.* pati cogit *C.* 11 lamenta eius *C.* 16 perditinis exemplum fiat *C.* 18 fędior *M.* 19 splendidior *C.* 23 conuersatione *C.* 24 nulliusque iusti *C.* 25 penitentia *C, M.*

EFFREM · Congratulantes · laudemus · laudantes glorificemus · unigenitum et venerabilem dilectum · et clementem dei filium qui non vult perire quos sui sacro redemit sanguine · [IX 6]

5 ABRAHAM · Ipsi honor gloria laus et iubilatio · per infinita secula · Amen ·

---

1 laudemus] gaudeamus *C.* **3** suo *C.* **5** ABRAHAM · *deest C.* gloria] et gratia *C.* **6** SECULA SECULORVM *C.* secula amen *sine interp. M.*

⟨PARS POSTERIOR⟩

CONVERSIO THAIDIS MERETRICIS ·

quam Pafnutius heremita ęque ut Habraham sub specie adiens amatoris convertit · et data poenitentia · per quin-
5 quennium · in angusta cellula conclusit · donec digna satisfactione deo reconciliata · quinta decima peractę poenitentię die obdormivit in Christo ·

---

fol. 109ʳ PAFNUTIUS · DISCIPULI · THAIS ·

⟨DISCIPULI ·⟩ Cur obscurum pater vultum nec solito I 1
10 geris Paphnuti serenum ?

PAFNUTIUS · Cuius cor contristatur · eius et vultus obscuratur ·

DISCIPULI · Pro qua re contristaris?

PAFNUTIUS · Pro iniuria factoris ·

15 DISCIPULI · Quae haec iniuria?

PAFNUTIUS · Ipsa quam a propria patitur creatura ad sui imaginem condita ·

DISCIPULI · Terruisti nos dictu ·

1 Couersio *M. Post init. litt.* C *minusculis pergit M.* **4** penitentia *M.* **6** penitentię *M.* **7** xp̄o *sine interp. sequ. M.* **9** *Init. litt.* C *M.* **11** contristatur *corr. ex* constristatur *M.* **13** contristaris *corr. ex* constristaris *M. Puncto simpl. interr. claud. M.* **16** Ipsam *M.* **17** condita *sine interp. sequ. M.*

PAFNUTIUS · Licet illa inpassibilis maiestas affici non [I] 2
possit iniuriis tamen ut usum nostrę fragilitatis metafo-
ricę transferam in deum · quę maior iniuria dici potest
quam quod eius imperio cuius gubernaculis maior mun-
5 dus obtemperanter subditur solus minor contraluctetur?
DISCIPULI · Quis est minor mundus? 3
PAFNUTIUS · Homo ·
DISCIPULI · Homo?
PAFNUTIUS · Porro ·
10 DISCIPULI · Qui homo ?
PAFNUTIUS · Omnis ·
DISCIPULI · Qui potest fieri?
PAFNUTIUS · Ut placuit creatori ·
DISCIPULI · Non sapimus ·
15 PAFNUTIUS · Non obvium est perpluribus ·
DISCIPULI · Expone ·
PAFNUTIUS · Intendite ·
DISCIPULI · Ac prompta mente ·
PAFNUTIUS · Sicut enim maior mundus ex quattuor 4
20 contrariis elementis · sed ad nutum creatoris secundum
armonicam moderationem · concordantibus perficitur ·
ita et homo non solum ab eisdem elementis sed etiam ex
fol. 109v magis contrariis partibus coaptatur ·
DISCIPULI · Et quid magis contrarium quam elementa? 5
25 PAFNUTIUS · Corpus et anima · quia licet illa sint con-
traria · tamen sunt corporalia · anima autem nec mortalis
ut corpus nec corpus spiritalis ut anima ·

2 usum] suum *M.* **5** *Puncto simpl. interr. claud. M.* **6** *Puncto simpl. interr. claud. M.* **8** *Puncto simpl. interr. claud. M.* **10** *Puncto simpl. interr. claud. M.* **12** *Puncto simpl. interr. claud. M.* **20** uotum *M.* **24** *Puncto simpl. interr. claud. M.* **27** corpus[2] *corr. ex* corpos *M.* spiritalis] *ita M,* spiritale *ed. Celt.*

DISCIPULI · Ita · [I 5]

PAFNUTIUS · Si tamen dialecticos sequimur · nec illa contraria esse fatemur ·

DISCIPULI · Et quis potest negare?

5 PAFNUTIUS · Qui dialecticę scit disputare · quia usię nihil est contrarium · sed receptatrix est contrariorum ·

DISCIPULI · Quid sibi vult quod dixisti · 'secundum armonicam moderationem'? 6

PAFNUTIUS · Id scilicet quod sicut pressi excellentes-
10 que soni · armonicę coniuncti quiddam perficiunt musicum · ita dissona elementa · convenienter concordantia unum perficiunt mundum ·

DISCIPULI · Mirum quomodo dissona concordari · vel concordantia possint dissona dici ·

15 PAFNUTIUS · Quia nihil ex similibus componi videtur · nec ex his quę nulla ratione proportionis iunguntur et a se omni substantia naturaque discreta sunt ·

DISCIPULI · Quid est musica? 7

PAFNUTIUS · Disciplina una de philosophiae quadru-
20 vio ·

DISCIPULI · Quid est hoc quod dicis quadruvium?

PAFNUTIUS · Arithmetica · geometrica · musica · astronomica ·

DISCIPULI · Cur quadruvium?

25 PAFNUTIUS · Quia sicut a quadruvio semitę · ita ab uno

2 sequimur ///// nec *M.* 3 fatemur *sine interp. sequ. M.* 5 scit *corr. ex* sit *M.* 8 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 9 id *M.* 14 dissona *supr. lin. M.* 16 ratione proportionis] rationis proportione *M, sed vide Pafn. I 10.* 18 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 19 quadruuio *sine interp. sequ. M.* 21 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 22 Arithmetica *sine interp. sequ. M.* 24 *Puncto simpl. interr. claud. M.*

philosophię principio harum disciplinarum prodeunt progressiones rectae · [I 7]

DISCIPULI · Veremur quiddam investigando rogitare de tribus quia coeptae scrupulum disputationis | capedine mentis vix penetrare quimus · 8 *fol. 110r*

PAFNUTIUS · Difficile captu ·

DISCIPULI · Dic nobis de ea superficietenus · cuius mentionem in presenti fecimus ·

PAFNUTIUS · Perparum dicere scio quia heremicolis est incognita ·

DISCIPULI · Quid agit? 9

PAFNUTIUS · Musica?

DISCIPULI · Ipsa ·

PAFNUTIUS · Disputat de sonis ·

DISCIPULI · Utrum est una an plures? 10

PAFNUTIUS · Tres esse dicuntur · sed unaqueque ratione proportionis alteri ita coniungitur · ut idem quod accidit uni · non deest alteri ·

DISCIPULI · Et quę distantia inter tres?

PAFNUTIUS · Prima dicitur mundana sive cęlestis · secunda humana · tertia quę instrumentis exercetur ·

DISCIPULI · In quo constat cęlestis? 11

PAFNUTIUS · In septem planetis et in celesti spera ·

DISCIPULI · Quo modo?

PAFNUTIUS · Eo videlicet · quo illa quę in instrumentis · quia tot spatia pares productiones eaedem simphonię repperiuntur in his · que et in cordis ·

2 recte *M.* 4 cepte *M.* 12 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 14 disputat *M.* 15 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 17 proportationis *mut. ex* proportationes *M.* ita · coniungitur *interp. M.* 18 uni *sine interp. sequ. M.* 24 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 26 eedem *M.* 27 cordis *sine interp. sequ. M.*

DISCIPULI · Quid sunt spatia? [I] 12

PAFNUTIUS · Dimensiones · que numerantur inter planetas · sive inter cordas ·

DISCIPULI · Et quid productiones?

5 PAFNUTIUS · Idem quod toni ·

DISCIPULI · Nec horum notitia nos tangit ·

PAFNUTIUS · Tonus fit ex duobus sonis · et possidet rationem epothoi numeri sive sesquioctavi ·

DISCIPULI · Quanto velocius praeposita investigando 13
10 satagimus transire tanto difficiliora nobis non desinis apponere ·

PAFNUTIUS · Hoc exigit · huiusmodi disputatio ·

DISCIPULI · Edissere summotenus aliquantulum de simphoniis quo saltim sciamus significationem nominis ·

fol. 110v 15 PAFNUTIUS · Simphonia dicitur modula|tionis temperamentum ·

DISCIPULI · Quare?

PAFNUTIUS · Quia · nunc quattuor · nunc quinque · 14
nunc octo sonis perficitur ·

20 DISCIPULI · Quia tres esse cognoscimus singularum vocabula dinoscere cupimus ·

PAFNUTIUS · Prima dicitur diatesseron · quasi ex quattuor et possidet proportionem epitritam · sive sesquitertiam · secunda diapente quę constat ex quinque et est in
25 ratione emiolei sive sesqualteri · tertia diapason · hęc fit in duplo perficiturque sonitibus octo ·

1 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 2 plenetas *M.* 4 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 8 sesqui octaui *(sine interp. sequ.) M.* 15 modula|lationis *M.* 17 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 18 quinq · *sine interp. sequ. M.* 19 perficitur *corr. ex* perficifur *M.* 22 dicitur · *interp. M.* diateseron · *M.* 23 siqui tertiam *M.* 24 ex *in ras. M.* 25 diaposon *M.*

DISCIPULI · Num spera et planetę proferunt sonum ut [I] 15
mereantur comparationem cordarum?
PAFNUTIUS · Ac maximum ·
DISCIPULI · Cur non auditur?
5 PAFNUTIUS · Multifariam exponunt · Alii autumant · non audiri posse propter assiduitatem · alii propter aeris spissitudinem · quidam autem ferunt · quod tanti enor- 16 mitas sonitus artos aurium nequeat intrare meatus · sunt etiam qui dicunt quod spera tam iocundum · tam dulcem
10 efferat sonum · ut si audiretur omnes in commune homines · semet ipsis neglectis omnibusque postpositis studiis · ducentem sonum · ab oriente sequerentur in occidentem ·
DISCIPULI · Prestat ut non audiatur ·
15 PAFNUTIUS · Hoc a creatore presciebatur ·
DISCIPULI · Sit satis de ista · prosequere de humana · 17
PAFNUTIUS · Quid de illa?
DISCIPULI · In quo percipiatur ·
PAFNUTIUS · Non solum ut dixi in compagine corporis
fol. 111r 20 et animę necnon in emissione · nunc gra|vis nunc clare vocis · sed etiam in pulsibus venarum atque in quorundam mensura menbrorum sicut in articulis digitorum in quibus easdem proportiones mensurando repperimus · quas in simphoniis premisimus · quia musica dicitur
25 convenientia · non solum vocum · sed etiam aliarum dissimilium rerum ·
DISCIPULI · Si presciremus quod huiusmodi nodus que- 18 stionis tam difficilis ad solvendum esset insciis maluisse-

2 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 4 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 5 exponunt alii *M.* 8 sonitus *corr. ex* sonitas *M.* 16 ista *sine interp. sequ. M.* 17 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 21 adque *M.* 28 soluendum *corr. ex* saluendum *M.*

mus · minorem mundum nescire · quam tantum difficultatis subire · [I 18]

PAFNUTIUS · Nil officit quod ęlaborastis · cum ante ignorata experti estis ·

5 DISCIPULI · Verum · sed tedet nos philosophicę disputationis · quia nequimus sensu emetiri · scrupulum tuę rationis ·

PAFNUTIUS · Cur me illuditis qui plane sum nescius · 19 non philosophus?

10 DISCIPULI · Et unde tibi hęc quaę nos fatigando protulisti?

PAFNUTIUS · Tenuem scientie guttulam · quam de plenis sciorum pateris · effluentem non ad colligendum residens · sed casu preteriens · repertam elambi · vobiscum 15 communicare studui ·

DISCIPULI · Gratulamur tuę benignitati · sed terremur 20 sententia apostoli dicentis · 'nam stulta mundi elegit deus · ut confunderet sophistica' ·

PAFNUTIUS · Sive stultus · sive sophista · perversa ope- 20 ratur · confusionem a deo meretur ·

DISCIPULI · Ita ·

PAFNUTIUS · Nec scientia scibilis deum offendit · sed iniustitia scientis ·

DISCIPULI · Verum ·

fol. 111ᵛ 25 PAFNUTIUS · Et in cuius laudem | dignius iustiusque 21 scientia arcium retorquetur quam in eius qui scibile fecit · et scientiam dedit?

5 uerum sed *M.* **8** nescius *sine interp. sequ. M.* **9** *Puncto simpl. interr. claud. M.* **11** *Puncto simpl. interr. claud. M.* **14** elambi *sine interp. sequ. M.* **16** Gratulamur] *ita M,* Congratulamur *coni. v. Winterf. (add.), Str.* **19** operantur *(sine interp. sequ.) M.* **20** confusionem *corr. ex* confusione *man. post. M.* meretur *sine interp. sequ. M.* **27** *Puncto simpl. interr. claud. M.*

DISCIPULI · In nullius · [I 21]

PAFNUTIUS · Quanto enim mirabiliori · lege deum omnia in numero et mensura et pondere posuisse quis agnoscit · tanto in eius amore ardescit ·

5 DISCIPULI · Nec iniuria ·

PAFNUTIUS · Sed quid moror in istis quę vobis minimum afferunt delectationis?

DISCIPULI · Enuclea nobis causam tui meroris · ne diutius frangamur pondere curiositatis · 22

10 PAFNUTIUS · Si quando experiemini · auditu non delectabimini ·

DISCIPULI · Haut raro contristatur qui curiositatem sectatur · sed tamen hanc nequimus superare · quia familiaris est fragilitati nostrę ·

15 PAFNUTIUS · Quedam inpudens femina moratur in hac patria · 23

DISCIPULI · Res civibus periculosa ·

PAFNUTIUS · Hęc miranda prenitet pulchritudine · et horrenda sordet turpitudine ·

20 DISCIPULI · Miserabile · Quid vocatur?

PAFNUTIUS · Thais ·

DISCIPULI · Illa meretrix?

PAFNUTIUS · Ipsa ·

DISCIPULI · Eius infamia nulli est incognita · 24

25 PAFNUTIUS · Nec mirum quia non dignatur cum paucis ad interitum tendere · sed prompta est omnes lenociniis suę formę illicere · secumque ad interitum trahere ·

1 nullius *sine interp. sequ. M.* 4 agnoscit *sine interp. sequ. M.* 5 nec *M.* 7 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 10 experiemini *sine interp. sequ. M.* 12 haut *M.* 18 hęc *M.* 19 turpitudine *corr. ex* turpididine *M.* 22 illa *M.* 24 infamia *corr. ex* infama *M.*

DISCIPULI · Lugubre · [I 24]

PAFNUTIUS · Nec solum nugaces vilitatem suae fami- 25
liaris rei dissipant illam colendo · sed etiam praepotentes
viri pretiosę varietatem suppellectilis pessumdant · non
5 absque sui damno hanc ditando ·

DISCIPULI · Horrescimus auditu ·

PAFNUTIUS · Greges amatorum ad illam confluunt ·

fol. 112r DISCIPULI · Se ipsos per|dunt ·

PAFNUTIUS · Qui amentes dum ceco corde quis illam 26
10 adeat contendunt · convitia congerunt ·

DISCIPULI · Unum vicium parit aliud ·

PAFNUTIUS · Deinde inito certamine nunc ora naresque
pugnis frangendo · nunc armis vicissim eiciendo · decur-
rentis illuvię sanguinis madefaciunt limina lupanaris ·

15 DISCIPULI · O nefas detestabile ·

PAFNUTIUS · Hęc iniuria quam deflevi factoris · hęc est 27
causa mei doloris ·

DISCIPULI · Merito super hoc contristaris · nec dubita-
mus · quin tecum contristentur cives patrię cęlestis ·

20 PAFNUTIUS · Quid si illam adeam sub specie amatoris · 28
si forte revocari possit ab intentione nugacitatis?

DISCIPULI · Qui tuę cogitationi instillavit velle · ipse
prestet efficaciam posse ·

PAFNUTIUS · Fulcite me interim precibus assiduis · ne
25 superer insidiis vitiosi serpentis ·

DISCIPULI · Qui regem prostravit tenebricolarum · lar-
giatur tibi contra hostem triumphum ·

---

1 lugubre *M.* **4** pręticse *M.* pessum dant *corr. ex* pensum dant *M.* **6** horrescimus *M.* **11** unum *M.* parat *M.* aliud *corr. ex* aliut *M.* **16** hęc *M.* **26** tenebricolarum *corr. ex* tenebri calarum *M.*

PAFNUTIUS · Ecce iuvenes in foro · Illos primum adibo · **II** 1
et ubi hanc quam quero inveniam rogabo ·

IUVENES · En ignotus quidam nos adit · experiemur
quid velit ·

5 PAFNUTIUS · Heus iuvenes · quid estis?

IUVENES · Urbicolae huius civitatis ·

PAFNUTIUS · Avete · 2

IUVENES · Et tu salve · sive sis huius patrię indigena
sive advena ·

10 PAFNUTIUS · Advena nunc advenio ·

IUVENES · Cur advenis? quid queris?

PAFNUTIUS · Non est dicendum · 3

IUVENES · Quare?

PAFNUTIUS · Quia mihi secretum ·

15 IUVENES · Melius ut proferas · quia si non es nostras ·
fol. 112ᵛ difficile pote|ris aliquid inter nos negotium · absque con-
silio peragere incolarum ·

PAFNUTIUS · Quid si dixero · et dicendo aliquod mihi
inpedimentum excitavero?

20 IUVENES · Non a nobis ·

PAFNUTIUS · Lętis promissionibus cedo · vestręque fi- 4
dei confidens secretum enucleo ·

IUVENES · Nihil nostra de parte infidelitatis · nihil tibi
obviabit contrarietatis ·

25 PAFNUTIUS · Quorundam relatu comperi · mulierem se- 5
cus vos commorari · omnibus amabilem omnibus affabi-
lem ·

IUVENES · Nosti eius nomen?

PAFNUTIUS · Novi ·

30 IUVENES · Quid vocatur?

5 iuuenes *sine interp. sequ. M.* **6** Vrbicole *corr. ex* Vbicole *M.*
23 infidelitatis *corr. ex* infidelitas *M.*

PAFNUTIUS · Thais · [II 5]

IUVENES · Ipsa nostratium est ignis ·

PAFNUTIUS · Ferunt illam mulierum pulcherrimam · omnium esse delicatissimam ·

5 IUVENES · Qui retulere · nihil fefellere ·

PAFNUTIUS · Ipsius causa difficilis prolixitatem vię surripui · ipsam ut viderem adveni · 6

IUVENES · Nullum tibi obstat impedimentum eam videndi ·

10 PAFNUTIUS · Ubi moratur?

IUVENES · Ecce mansio in proximo ·

PAFNUTIUS · Hęc quam indice proditis?

IUVENES · Ipsa ·

PAFNUTIUS · Illo pergam ·

15 IUVENES · Si placet · tecum pergemus ·

PAFNUTIUS · Malo ire solus ·

IUVENES · Ut libet ·

PAFNUTIUS · Tu istęc intro Thais · quam quero? **III** 1

THAIS · Quis hic qui loquitur ignotus?

20 PAFNUTIUS · Amator tuus ·

THAIS · Quicumque me amore colit · aequam vicem amoris a me recipit ·

PAFNUTIUS · O Thais Thais · quanta gravissimi itineris currebam spatia · quo mihi daretur copia tecum fandi · 2

25 tuique faciem contemplandi ·

fol. 113r THAIS · Nec aspectum subtraho · | nec colloquium denego ·

5 retulere *corr. ex* retule *M.* **12** hęc *M.* **18** thais *sine interp. sequ. M.* **23** itineris *corr. ex* iteneris *M.*

PAFNUTIUS · Secretum nostrę confabulationis · desiderat solitudinem loci secretioris · [III] 3

THAIS · Ecce cubile bene stratum · et delectabile ad inhabitandum ·

5 PAFNUTIUS · Estne hic aliud penicius · in quo possimus colloqui secretius?

THAIS · Est etenim aliud ⟨tam⟩ occultum · tam secretum · ut eius penetral nulli preter me nisi deo sit cognitum · 4

PAFNUTIUS · Cui deo?

10 THAIS · Vero ·

PAFNUTIUS · Credis illum aliquid scire?

THAIS · Non nescio illum nihil latere ·

PAFNUTIUS · Utrumne reris illum facta pravorum neglegere · an sui aequitatem servare?

15 THAIS · Estimo ipsius aequitatis lance singulorum merita pensari · et unicuique prout gessit sive supplicium sive pręmium servari ·

PAFNUTIUS · O Christe quam miranda tuę circa nos benignitatis patientia · qui te scientes vides peccare · et tamen tardas perdere · 5

20

THAIS · Cur contremiscis mutato colore? Cur fluunt lacrimę?

PAFNUTIUS · Tui presumptionem horresco · tui perditionem defleo · quia hęc nosti et tantas animas perdidisti ·

25 THAIS · Ve ve mihi infelici ·

PAFNUTIUS · Tanto iustius damnaberis · quanto praesumptiosius scienter offendisti maiestatem divinitatis · 6

8 sit *corr. ex* est *M.* **13** ne reris *corr. ex* mereris *Celt.(?) in M.* facta *corr. ex* facte *man. post. M.* prauorum *corr. ex* prauarum *M.* neglegere *corr. ex* negleglere *M.* **21** colore *corr. ex* calore *M.* **26** damaberis *M.* praesumptuosius *corr. ex* praesumptiosius *M.*

THAIS · Heu heu quid agis · quid infelici minitaris? [III 6]
fol. 113ᵛ PAFNUTIUS · Supplicium tibi immi|net gehennę si permanebis in scelere ·
THAIS · Severitas tuę correptionis concussit penetral
5 pavidi cordis ·
PAFNUTIUS · O utinam esses visceratenus concussa timore · ne ultra presumeres periculosę delectationi assensum prebere · 7
THAIS · Et quis post hęc locus pestifere delectationi in
10 meo corde potest relinqui ubi solum intestini meroris amaritudo · consciique reatus nova dominatur formido?
PAFNUTIUS · Hoc opto · quo resectis vitiorum spinis emergere possit vinum conpunctionis ·
THAIS · O si crederes · o si sperares · me sordidulam 8
15 milies millenis sordium oblitam offuscationibus ullatenus posse expiari · seu ullo conpunctionis modo veniam promereri ·
PAFNUTIUS · Nullum enim ⟨tam⟩ grave peccatum · nullum tam inmane est delictum · quod nequeat expiari
20 poenitentiae lacrimis · si effectus sequetur operis ·
THAIS · Ostende queso mi pater quo effectu operis promereri queam munus reconciliationis ·
PAFNUTIUS · Contempne saeculum · fuge lascivorum 9 consortia amasionum ·
25 THAIS · Et quid mihi tunc erit agendum?
PAFNUTIUS · In secretum locum secedendum in quo te

1 Heu[1] *litt. min. inc. M.* **7** delectationi *corr. ex* delectatione *M.* **13** vinum] *ita iuxta Ps 59,5 legendum propos. Homeyer;* uimen (m *mut. in* iti) *M,* lacrima *supr. lin. man. post.* conpugtionis *M.* **20** pęnitentię *M.* sequetur *corr. ex* sequitur *M.* **23** lasciuorum *corr. ex* lasciuiorum *M.* **25** *Puncto simpl. interr. claud. M.*

ipsam discutiendo possis lamentari enormitatem tui delicti · [III 9]

THAIS · Si hoc speras proficere · non addo momentum morulę ·

5 PAFNUTIUS · Non dubito quin prosit ·

THAIS · Da mihi aliquantuli spatium tempusculi · ut 10
fol. 114r proferam mam|monam quam male collectam diu servavi ·

PAFNUTIUS · Ne solliciteris pro ea · non desunt qui
10 utentur inventa ·

THAIS · Non ob id sollicitor · ut vel mihi servare · vel amicis vellem dare · sed nec egenis conor dispensare · quia non arbitror pretium piacli aptum esse ad opus beneficii ·

15 PAFNUTIUS · Recte arbitraris · Et quid de congestis actum ire meditaris? 11

THAIS · Igni tradere et in favillam redigere ·

PAFNUTIUS · Quam ob rem?

THAIS · Ne retineantur in mundo · quę male adquisivi ·
20 non absque mundi factoris iniuria ·

PAFNUTIUS · O quam mutata es ab illa quę prius eras · 12
quando illicito amore flagrabas · avaritię calore estuabas ·

THAIS · Fortasse mutabor in melius · si annuerit deus ·

PAFNUTIUS · Non est difficile inmutabili eius substan-
25 tię · res ut libet mutare ·

THAIS · Ibo et quę cogitavi opere complebo ·

PAFNUTIUS · Vade in pace · ciciusque ad me revertere ·

---

4 marulę *M.* **9** sollicitæris *mut. ex* sollicitaris *M.* **10** uitentur *M.* **13** prętium *M.* piacli *corr. ex* piaclilum *M.* **15** et *M.* **17** Ignis *M.* **19** retineantur *corr. ex* retineatur *man. post. M.*

THAIS · Convenite properamini · nequam amatores mei · **IV** 1

AMATORES · Vox Thaidis nos vocantis · Adventum maturemus · ne illam tardando offendamus ·

5 THAIS · Accelerate · accedite · ut queam vobiscum verba miscere ·

AMATORES · O Thais · Thais · quid sibi vult rogus quem construis · cur preciosarum varietatem · divitiarum iuxta rogum congeris? 2

10 THAIS · Rogatis?

AMATORES · Admiramur satis ·

THAIS · Exponam cicius ·

AMATORES · Hoc optamus ·

THAIS · Aspicite · 3

15 AMATORES · Quiesce quiesce Thais · quid agis · num insanis?

THAIS · Non insanio sed sanum sapio ·

fol. 114v AMATORES · Ut quid hęc perdicio | quadringentarum auri librarum · cum aliarum diversitate gazarum?

20 THAIS · Omne quod iniuste a vobis extorsi · igne volo cremari · ne ullus fomes vobis relinquatur sperandi · me ultra vestro amori cedendi ·

AMATORES · Subsiste paulisper subsiste · et materiam tuę perturbationis detege · 4

25 THAIS · Non subsisto · nec sermonem vobiscum confero ·

AMATORES · Cur dedignando · nos fastidis? num alicuius infidelitatis nos arguis? Nonne semper satisfecimus tuis votis? et tu iniquo odio nos gratis insectaris ·

3 aduentum *M.* **10** *Puncto simpl. interr. claud. M.* **27** nos] non *M.* **29** *Puncto simpl. interr. claud. M.*

THAIS · Dimittite · nolite vestem meam adtrahendo [IV 4]
scindere · sit satis quod hucusque peccando vobis consensi · finis instat peccandi · tempusque nostri discidii ·

AMATORES · Quo tendit? 5

5 THAIS · Ubi nemo vestrum posthac me videbit ·

AMATORES · Papae · quid hoc monstri est quod nostri delicias Thais · quę diviciis affluere semper laboravit · quę mentem a lascivia numquam retraxit · et se voluptati penitus dedit tanta auri gemmarumque insignia · absque
10 retractatione perdidit · et nos sui amasiones dedignando sprevit subitoque non comparuit?

THAIS · En pater Pafnuti venio ad sequendum tibi V 1
promptissima ·

PAFNUTIUS · Quia moram in veniendo fecisti coartabar
15 nimis · verendo te iterum implicitam esse secularibus negociis ·

THAIS · Ne id vereare quia multo aliud mihi versatur in mente · nam res familiares iuxta velle meum disposui · meisque amasionibus publice abrenuntiavi ·

fol. 115r 20 PAFNUTIUS · Quia his abrenuntiasti | superno amatori · iam nunc poteris copulari · 2

THAIS · Tuum est mihi velut radio praescribere · quid me oporteat factum ire ·

PAFNUTIUS · Sequere me ·

2 huc usque *ita M.* 5 post hac *M,* post haec *v. Winterf., Str.*; *cf. prim. 453.* 6 Papê *M.* 7 delicias *ita M.* effluere *M.* 9 pęnitus *M.* 11 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 12 sequendum *mut. in* obsequendum *Celt. in M.* 17 uereare *corr. ex* uertare *M.* uersetur *M.* 22 mihi · uelut *interp. M.* 23 facturum ire *M.*

THAIS · Sequar enim ambulatione · O utinam sequerer [V 2]
et actione ·

PAFNUTIUS · Ecce cęnobium in quo sacrarum virgi- VI 1
num · nobile commoratur collegium · Eo loci gestio te
5 mansum ire agendę spacium pęnitentię ·
THAIS · Non contraluctor ·
PAFNUTIUS · Intrabo et abbatissam ductricem virgi-
num · pro tui susceptione placabo ·
THAIS · Quid iubes me interim agere?
10 PAFNUTIUS · Mecum pergere ·
THAIS · Ut iubes ·
PAFNUTIUS · Ecce abbatissa occurrit · admiror quis illi 2
nos adesse · tam cito retulerit ·
THAIS · Fama quę nulla stringitur mora ·

---

15 PAFNUTIUS · Oportune occurris illustris abbatissa · te VII 1
ipsam quero ·
ABBATISSA · Gratanter advenis venerande pater Pafnuti ·
benedictus tui adventus dilecte dei ·
PAFNUTIUS · Beatitudinem aeternę benedictionis in-
20 fundat tibi gratia omniparentis ·
ABBATISSA · Unde hoc mihi ut sanctitas tua dignaretur
invisere · exiguitatem habitationis meę?

1 sequerer] sequer *M.* 3 sacrum *M.* 4 eo *M.* 7 abbatissiam *mut. ex* abbatissimam *M.* 9 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 10 mecum *M.* 11 ut *M.* 17 gratanter *M.* 22 *Puncto simpl. interr. claud. M.*

PAFNUTIUS · Opus est tuo iuvamine in aliqua sollicitanda necessitate · [VII] 2

ABBATISSA · Iube solummodo levi famine · quid me velis agere et ego tui iussa complere tuisque votis studebo
5 pro viribus satisfacere ·

PAFNUTIUS · Attuli capellam semivivam · dentibus luporum nuper abstractam · quam tui miseratione foveri · tui sollicitudine gestio mederi quoadusque abiecta haedinae pellis austeritate ovini velleris induatur molliciȩ · 3

10 ABBATISSA · Expone enucleatius ·

PAFNUTIUS · Istec quam vides meretricio more vitam instituit · 4

ABBATISSA · Miserabile ·

PAFNUTIUS · Seseque totam lasciviȩ dedit ·

15 ABBATISSA · Semet ipsam perdidit ·

fol. 115ᵛ PAFNUTIUS · At nunc me hortan|te Christoque cooperante frivola quȩ sectabatur odiendo refugit · et castum sapit ·

ABBATISSA · Mutationis auctori grates ·

20 PAFNUTIUS · Quia enim ȩgritudo animarum · aeque ut corporum · contrariis curanda est medelis · consequens est · ut hȩc a solita · secularium inquietudine sequestrata · sola in angusta retrudatur cellula · quo liberius possit discutere sui crimina · 5

25 ABBATISSA · Hoc potissimum prodest ·

PAFNUTIUS · Manda · ut quantotius cellula construatur · 6

ABBATISSA · Parvo spacio perficiatur ·

PAFNUTIUS · Nullus introitus · nullus relinquatur aditus · sed solummodo exigua fenestra · per quam modi-

1 aliquo *M.* **3** Iube] be *supr. lin. M.* salummodo *M.* **8** hedine *M.* **10** Exprimere enucleatus *M.* **19** mutationis *M.* **22** · secularium · *interp. M.* **26** manda *M.*

cum possit victum accipere · quem statutis diebus et ho- [VII 6]
ris illi debebis parce praebitum ire ·

ABBATISSA · Vereor quod delicatę teneritudo mentis 7
ęgre paciatur difficultatem tanti laboris ·

5 PAFNUTIUS · Ne id vereare · nam grave delictum forte
desiderat semper remedium ·

ABBATISSA · Verum ·

PAFNUTIUS · Tedet me magis morarum · quia timeo il- 8
lam corrumpi visitatione hominum ·

10 ABBATISSA · Cur tedium pateris · cur illam non inclu-
dis? ecce cellula quam desiderasti est perfecta ·

PAFNUTIUS · Placet · Ingredere Thais · habitaculum · 9
tuis facinoribus deflendis satis congruum ·

THAIS · Quam breve · quam obscurum · et quam in-
15 commodum tenellę mulieri ad inhabitandum ·

PAFNUTIUS · Cur habitaculum execraris? cur ingredi 10
horrescis? decet ut quę actenus fuisti indomite vaga ·
nunc tandem in solitario refreneris loco ·

THAIS · Mens assueta lascivię haut raro inpaciens est
20 austerioris vitę ·

PAFNUTIUS · Ideo debet habenis disciplinę stringi ·
quoadusque desinat contraluctari ·

THAIS · Quod iubet tua paternitas · non recusat subi- 11
tum ire mea vilitas · sed quedam inoportunitas · inest
fol. 116r 25 huic habitationi · difficilis · ad sufferendum meę fragili-
tati ·

PAFNUTIUS · Quę haec inoportunitas?

THAIS · Erubesco dicere ·

6 semper] · sperare *M.* 8 tedet *M.* 9 visitatione] uisi *in ras.* *M.* 12 P *(=* Pafnutius*) supr. lin. M.* Placet *sine interp. sequ. M.* ingredere *M.* 19 mens *M.* 20 aucterioris *M.* 25 fragilitati *sine interp. sequ. M.* 27 inportunitas *M.*

PAFNUTIUS · Ne erubescas sed penitus detege · [VII 11]

THAIS · Quid inoportunius · quidve poterit esse incom- 12
modius · quam quod in uno eodemque loco · diversa cor-
poris necessaria supplere debebo · Nec dubium · quin
5 ocius fiat inhabitabilis · prae nimietate foetoris ·

PAFNUTIUS · Formida perpetis crudelitatem gehennę ·
et desine transitoria pertimescere ·

THAIS · Fragilitas mei cogit me terreri ·

PAFNUTIUS · Convenit ut male blandientis dulcedinem
10 delectationis luas molestia nimii foetoris ·

THAIS · Non recuso · non nego · me sordidam · non 13
iniuria fedo sordidoque habitatum ire in tugurio · sed
hoc dolet vehementius quod nullus est relictus locus · in
quo apte et caste possim tremendę nomen maiestatis in-
20 vocare ·

PAFNUTIUS · Et unde tibi tanta fiducia · ut pollutis la-
biis praesumas proferre nomen inpollutę divinitatis?

THAIS · Et a quo veniam sperare cuiusve salvari pos- 14
sum miseratione · si ipsum prohibeor invocare cui soli
25 deliqui · et cui uni devotio orationum debet offerri?

PAFNUTIUS · Debes plane orare non verbis · sed lacri-
mis · non sonoritate tinnulę vocis · sed conpuncti rugitu
cordis ·

THAIS · Et si vetar deum verbis orare · quomodo pos-
30 sum veniam sperare?

1 detege *sine interp. sequ. M.* **2** incommodi[s], *sine interp. sequ. M.* **4** nec *M.* **5** otius fiat · *M.* inhabitaculis, culis *corr. in* bilis *Celt. in marg. M.* fętoris *M.* **9** blandimentis *mut. in* blandimentorum *Celt. in marg. M.* **10** delectationis *corr. ex* delectionis *M.* **12** habitum *corr. in* habitatum *Celt. in marg. M.* **25** debet · offerri · *interp. M.* **27** rugitu *corr. ex* ruitu *M.* **29** orare *sine interp. sequ. M.* **30** *Puncto simpl. interr. claud. M.*

PAFNUTIUS · Tanto celerius mereberis · quanto perfectius humiliaberis · Dic tantum · 'Qui me plasmasti · miserere mei' · [VII 14]

THAIS · Opus est eius miseratione ne frangar in dubio certamine · 15

PAFNUTIUS · Certa viriliter · ut possis triumphum obtinere feliciter ·

THAIS · Tuum est pro me orare · ut merear palmam victorię ·

PAFNUTIUS · Non opus est monitu ·

THAIS · Spero ·

PAFNUTIUS · Tempus est ut optatas solitudinis repetam latebras et karos visitem discipulos · tuę igitur sollicitudini · tuę pietati vene|rabilis abbatissa · hanc captivam committo · ut et corpus delicatum mediocriter foveas necessariis · et animam sufficienter reficias saluberrimis monitis · 16 *fol. 116v*

ABBATISSA · Ne solliciteris pro ea · quia eam materno affectu fovebo ·

PAFNUTIUS · Vadam ·

ABBATISSA · In pace ·

DISCIPULI · Quis pulsat portam? **VIII 1**

PAFNUTIUS · Ehe ·

DISCIPULI · Vox Pafnutii patris nostri ·

PAFNUTIUS · Amovete pessulum ·

DISCIPULI · O pater salve ·

2 dictantium *corr. in* dic tantum *Celt. in marg. M.* qui *M.* 4 frangor *M.* 12 ut optatas] tiptatas *M.* 23 EHE *M.*

PAFNUTIUS · Avete · [VIII 1]

DISCIPULI · Coartabamur nimium · pro diutina absentia tui ·

PAFNUTIUS · Iuvat quod abfui ·

5 DISCIPULI · Quid actum est de Thaide? 2

PAFNUTIUS · Iuxta meum velle ·

DISCIPULI · Ubi moratur?

PAFNUTIUS · In exigua cellula · deflet sui commissa ·

DISCIPULI · Laus sit summę trinitati · 3

10 PAFNUTIUS · Et benedictum nomen eius tremendum · nunc et per aevum ·

DISCIPULI · Amen ·

PAFNUTIUS · Ecce tres mansurni poenitentię Thaidis transiere · et ego ignoro · utrumne deo acceptabilis sit 15 eius conpunctio · Surgam et vadam ad fratrem meum Antonium · quo mihi manifestetur · per eius interventum · IX

ANTONIUS · Quid insperatę iocunditatis accidit · quid novi gaudii mihi contigit? Num hic est frater · et coheremicola meus Pafnutius? Ipse est · X 1

PAFNUTIUS · Sum etenim ·

ANTONIUS · Bene frater venisti · bene me adveniendo letificasti ·

9 laus *M.* **15** surgam *M.* **18** quid[2]] quod *M.* **20** *Puncto simpl. interr. claud. M.* ipse *M.*

PAFNUTIUS · Haut minus tripudio tui visu · quam tu [X 1] mei adventu ·

ANTONIUS · Quę hęc causa tam acceptabilis? tam grata 2 nobis · quę te huc duxit · de tuis latibulis?

5 PAFNUTIUS · Enucleo ·

ANTONIUS · Hoc desidero ·

PAFNUTIUS · Ante hoc triennium morabatur secus nos quędam meretrix nomine Thais · quę non solum sese perdicioni dedit sed etiam perplures secum ad interitum

10 trahere consuevit ·

fol. 117r ANTONIUS · Heu gemenda consuetudo ·

PAFNUTIUS · Hanc sub specie amatoris adii · et lasci- 3 vientem animum · nunc suavibus hortamentis · blandiendo mulcebam · nunc acrioribus monitis · minitando

15 terrebam ·

ANTONIUS · Hoc temperamentum eius lascivię fuit necessarium ·

PAFNUTIUS · Tandem cessit · et spreta reprehensibili consuetudine castitatem elegit · seseque in angustissima

20 cellula concludi consensit ·

ANTONIUS · Delector audiendo · in tantum · ut omnes 4 praecordiorum venę · intrinsecus exiliant gaudendo ·

PAFNUTIUS · Decet tui sanctitatem · et ego quidem · licet supra modum gaudeo · de conversione · si levi tamen

25 conturbor sollicitudine · eo quod vereor eius teneritudinem ęgre ferre diutinum laborem ·

ANTONIUS · Ubi adest vera dilectio · non deest pia compassio ·

4 *Puncto simpl. interr. claud. M.* **5** En ucleo *mut. in* En ualeo *man. post. M.* **10** consueuit *sine interp. sequ. M.* **11** heu *M.* **12** hanc *M.* **22** precordiarum *M.* **23** sanctitatem *sine interp. sequ. M.* **24** gaudeo *corr. ex* gaudeti *(?) M.*

PAFNUTIUS · Unde tuam dilectionem efflagito · ut tu [X] 5
tuique discipuli mecum in orationibus concordando velitis persistere · quoadusque cȩlitus demonstretur · utrumne benignitas divinȩ miserationis · adhuc ⟨ad⟩ in-
5 dulgentiam mollita sit poenitentis lacrimis ·
ANTONIUS · Consentimus tue peticioni libenter ·
PAFNUTIUS · Nec dubito vos a deo exauditum iri clementer ·

ANTONIUS · Ecce evangelica promissio in nobis est im- **XI** 1
10 pleta ·
PAFNUTIUS · Quȩ haec promissio?
ANTONIUS · Ea videlicet · quȩ consentientes in oratione · promisit omnia impetrare posse ·
PAFNUTIUS · Quid est?
fol. 117ᵛ 15 ANTONIUS · Paulo meo | discipulo · ostensa est quedam visio ·
PAFNUTIUS · Voca illum ·
ANTONIUS · Paule accede · et quȩ vidisti Pafnutio expone ·
20 PAULUS · Videbam in visione lectulum candidulis pal- 2
liolis in cȩlo magnifice stratum · cui quattuor splendidȩ virgines prȩerant · et quasi custodiendo astabant · at ubi iocunditatem mire claritatis aspiciebam intra me dicebam · 'Haec gloria nemini magis congruit · quam patri et
25 domino meo Antonio' ·
ANTONIUS · Tali me non dignor beatitudine ·
PAULUS · Quo dicto · intonuit vox divina dicens · 'Non

4 adhuc] *ita M,* huc *lineis del. Celt.* 5 sit *in ras. M.* pȩnitentis *M.* 11 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 14 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 27 non *M.*

ut speras Antonio · sed Thaidi meretrici servanda est [XI 2]
haec gloria' ·

PAFNUTIUS · Laus dulcedini tuę miserationis Christe 3
unice dei · quod mei tristiciam · tam pie dignatus es con-
5 solari ·

ANTONIUS · Dignus est laudari ·

PAFNUTIUS · Ibo et mei captivam visitabo ·

ANTONIUS · Tempus est · ut illi et spem venię · et sola-
men promittas beatitudinis aeternę ·

---

10 PAFNUTIUS · Thais mea adoptiva filia aperi fenestram **XII** 1
ut te videam ·

THAIS · Quis loquitur?

PAFNUTIUS · Pafnutius pater tuus ·

THAIS · Unde mihi iocunditas tantę leticię · ut tu me
15 peccatricem dignareris visitare?

PAFNUTIUS · Licet per hoc triennium absens essem cor-
pore · haut modicum tamen sollicitatus sum pro tui sa-
lute ·

THAIS · Non dubito ·

20 PAFNUTIUS · Expone mihi historiam tuę conversationis · 2
modumque compunctionis ·

THAIS · Hoc possum exponere · quod non nescio me ·
nihil dignum deo egisse ·

PAFNUTIUS · Si deus iniquitates observabit nemo susti-
25 nebit ·

fol. 118ʳ THAIS · | Si tamen quid fecerim vis scire · numerosita- 3
tem meorum scelerum intra conscientiam quasi in fasci-

10 Thahis *M.* **13** PAFNUTIUS *deest M.* **15** *Puncto simpl. in-
terr. claud. M.* **17** sollicitus *M.*

culum collegi · et pertractando mente semper inspexi · [XII 3]
quo sicut naribus numquam molestia foetoris · ita formido gehennę non abesset visibus cordis ·

PAFNUTIUS · Quia te conpunctione punisti · ideo ve-
5 niam meruisti ·

THAIS · O utinam ·

PAFNUTIUS · Da manum ut te educam · 4

THAIS · Noli, pater venerande · noli me sordidulam his inmundiciis abstrahere · sed sine in loco meis meritis
10 condigno mansum ire ·

PAFNUTIUS · Tempus est ut levigato timore incipias vitam sperare · quia tui poenitentia acceptabilis est deo ·

THAIS · Eius pietati laudem ferant omnes angeli · quia non sprevit humilitatem cordis contriti ·

15 PAFNUTIUS · Esto stabilis in dei timore et permane in 5
eius dilectione · Post quindecim namque dies homine exues · et tandem felici cursu peracto · superna favente gratia · transmigrabis ad astra ·

THAIS · O utinam mererer pęnas evadere · vel saltim
20 clementius exuri mitiori igne · Non est enim hoc mei meriti · ut doner beatitudine interminabili ·

PAFNUTIUS · Gratuitum dei donum non pensat humanum meritum · quia si meritis tribueretur · gratia non diceretur ·

25 THAIS · Unde laudet illum cęli concentus · omnisque 6
fol. 118ᵛ terrę surculus · necnon univer|sę animalis species atque

2 numquam /// *M.* fętoris *corr. ex* fętoribus *M.* **12** sperare *sine interp. sequ. M.* pęnitentia *M.* **13** angeli *sine interp. sequ. M.* **16** dilectione post *M.* hominem exies, *corr. in* exues *Celt. in marg. M*; cf. Cal. 5,1. *Lectionem* hominem exues *defendit G. Scarpat, Paideia 45, 1990, p. 396 sq.; econtra* hominem exies *praefert A. Traina, Poeti latini t. 4, Bologna 1994, p. 219 sqq.* **20** non *M.* **23** meritum *sine interp. sequ. M.*

confusę aquarum gurgites · quia non solum peccantes patitur · sed etiam pęnitentibus pręmia gratis largitur · [XII 6]

PAFNUTIUS · Hoc illi antiquitus fuit in more ut mallet misereri · quam ferire ·

---

5 THAIS · Noli abire pater venerabilis · sed adesto mihi pro solatio · in hora meę dissolutionis · **XIII** 1

PAFNUTIUS · Non abeo · non discedo · donec anima super ethra plaudente corpus tradam · sepulturę ·

THAIS · En incipio mori · 2

10 PAFNUTIUS · Nunc est tempus orandi ·

THAIS · Qui plasmasti me miserere mei · et fac felici reditu ad te reverti animam quam inspirasti ·

PAFNUTIUS · Qui factus a nullo · vere es sine materia forma · cuius simplex esse · hominem qui non est id 15 quod est · ex hoc et hoc fecit consistere · da diversas partes huius solvendę hominis prospere repetere principium sui originis · quo et anima cęlitus indita · cęlestibus gaudiis intermisceatur · et corpus in molli gremio terrę suę materię pacifice foveatur quoadusque pulverea favilla co- 20 eunte · et vivaci flatu · redivivos artus iterum intrante haec eadem Thais resurgat perfecta ut fuit homo · inter *fol. 119r* candidulas oves collo|canda · et in gaudium aeternitatis inducenda · tu qui solus ⟨es⟩ id quod es ⟨et⟩ in unitate trinitatis regnas et gloriaris per infinita saecula saeculo- 25 rum · 3 4

---

2 lagitur *M.* 5 Nolo *M.* **19** quo | quoadusque *M.* **24** saeculorum *sine interp. sequ. M.*

PASSIO SANCTARUM VIRGINUM · FIDEI · SPEI · ET KARITATIS ·

quas earundem veneranda genitrice Sapientia · praesente · et maternis admonitionibus ad tolerandas passiones hor-
5 tante · Diocletianus imperator diversis suppliciis interfecit · quarum etiam corpora martirio consummata sancta mater Sapientia collegit · et aromatibus condita · quinto ab urbe Roma miliario · honorifice sepelivit · Ipsa quoque quadragesima die · iuxta earum sepulchra · finita
10 oratione sacra spiritum prȩmisit caelo ·

ANTIOCHUS · ADRIANUS ·
fol. 119v SAPIENTIA · FIDES · SPES · KARITAS ·

ANTIOCHUS · Tuum igitur esse · o imperator Adriane · I 1
prosperis ad vota successionibus pollere · tuique statum
15 imperii feliciter absque perturbatione exoptans vigere · quicquid rempublicam confundere · quicquid tranquillum mentis reor vulnerare posse · quantotius divelli · penitusque cupio labefactari ·

ADRIANUS · Nec iniuria · nam nostri prosperitas tui est
20 felicitas · cum summos dignitatis gradus in dies tibi augere non desistimus ·

ANTIOCHUS · Congratulor tuȩ almitati · unde si quid 2
experior emergere · quod tuo potentatui videtur contraluctari · non occulo sed impaciens morae profero ·

1 *Post init. litt.* P *minusculis pergit M.* 4 admonitionibus *corr. ex* admonibus *M.* 6 consummati *M.* 7 quinto] · v[a] · *M.* 10 cȩlo *sine interp. sequ. M.* 13 ANTIOCHUS] AN *in marg. M. Init. litt.* T *M.* · O · *punctis erasis M.* 14 Prosperis *M.* 15 exoptans *corr. ex* exoptas *M.* 24 more *M.*

ADRIANUS · Et merito · ne reus maiestatis esse arguaris · si non celanda celaveris · [I 2]

ANTIOCHUS · Huiusmodi commisso reatus · numquam fui obnoxius ·

5 ADRIANUS · Memini · sed profer si quid scias novi ·

ANTIOCHUS · Quedam advena mulier hanc urbem Romam nuper intravit · comitata proprii fętus pusiolis tribus · 3

ADRIANUS · Cuius sexus sunt pusioli?

10 ANTIOCHUS · Omnes feminei ·

ADRIANUS · Numquid tantillarum adventus muliercularum aliquid rei publicę adducere poterit detrimentum?

fol. 120ʳ ANTIOCHUS · Per|magnum ·

ADRIANUS · Quod?

15 ANTIOCHUS · Pacis defectum · 4

ADRIANUS · Quo pacto?

ANTIOCHUS · Et quod maius potest rumpere civilis concordiam pacis · quam dissonantia observationis?

ADRIANUS · Nihil gravius · nihil deterius · quod testa-
20 tur orbis Romanus · qui undiquesecus christianę caedis sorde est infectus ·

ANTIOCHUS · Haec igitur femina cuius mentionem facio hortatur nostrates avitos ritus deserere · et christianę religioni se dedere · 5

25 ADRIANUS · Num prędvalet hortamentum?

ANTIOCHUS · Nimium · nam nostrę coniuges fastidiendo nos contempnunt · adeo · ut dedignantur nobiscum comedere · quanto minus dormire ·

ADRIANUS · Fateor periculum ·

30 ANTIOCHUS · Decet tui personam precavere · 6

4 obnoxius *corr. ex* obnixus *M.* **14** *Puncto simpl. interr. claud. M.* **20** cedis *M.* **22** Haec] Hoc *M.* **23** ritus *corr. ex* retus *M.*

ADRIANUS · Consequens · Advocetur · et in nostri presentia an velit cedere discutiatur · [I 6]

ANTIOCHUS · Vin me illam advocare?

ADRIANUS · Volo percerte ·

---

5 ANTIOCHUS · Quid vocaris o mulier advena? **II** 1

SAPIENTIA · Sapientia ·

ANTIOCHUS · Imperator Adrianus iussit te in palatio presentari suis conspectibus ·

SAPIENTIA · Palatium cum nobili filiarum comitatu in-10 trare non trepido · et minacem imperatoris vultum comminus aspicere non formido ·

ANTIOCHUS · Invisum genus christicolarum semper promptum est principibus ad resistendum · 2

SAPIENTIA · Princeps universitatis qui nescit vinci · *fol. 120v* 15 non patitur suos | ab hoste superari ·

ANTIOCHUS · Mitiga effluentiam verborum · et perge ad palatium ·

SAPIENTIA · Monstra viam prȩeundo · nos subsequimur accelerando ·

---

20 ANTIOCHUS · Hic ipse est imperator quem in solio residentem conspicis · prȩcogita quid loquaris · **III** 1

SAPIENTIA · Hoc prohibet Christi sententia · promittens nobis insuperabilis sapientiȩ dona ·

ADRIANUS · Huc ades Antioche · 2

25 ANTIOCHUS · Presto sum domine ·

22 promittens] *ita M;* promittentis *coni. v. Winterf. (add.), Str.*

ADRIANUS · Numquid hę sunt mulierculę · quas deferebas pro christiana religione? [III 2]

ANTIOCHUS · Sunt plane ·

ADRIANUS · Uniuscuiusque pulchritudinem obstupesco · sed et honestatem habitus satis admirari nequeo · (5)

ANTIOCHUS · Desine o mi senior admirari · et coge illas deos venerari ·

ADRIANUS · Quid si illas primule aggrediar blanda alloquutione · si forte velint cedere? 3

10 ANTIOCHUS · Melius est · nam fragilitas sexus feminei · facilius potest blandimentis molliri ·

ADRIANUS · Illustris matrona blande et quiete ad culturam deorum te invito · quo nostra perfrui possis amicicia ·

15 SAPIENTIA · Nec in cultura deorum tuis votis satisfacere · nec amiciciam tecum gestio inire · 4

ADRIANUS · Adhuc mitigato furore · nulla in te moveor indignatione · sed pro tua tuique filiarum salute · paterno sollicitor amore ·

20 SAPIENTIA · Nolite meę filię serpentinis huius satanę lenociniis cor appo|nere · sed meatim fastidite · 5 *fol. 121r*

FIDES · Fastidimus · et animo contempnimus frivola ·

ADRIANUS · Quid murmurando loqueris?

SAPIENTIA · Filias affabar paucis ·

25 ADRIANUS · Videris esse summis natalibus orta · sed tamen patriam · genus · nomenque tuum ex te plenius cupio ediscere · 6

SAPIENTIA · Licet sanguinis superbia nobis sit parvi pendenda · tamen clara ex stirpe me originem non nego trahere · (30)

8 primulę *M.* **18** Sed *M.* paterno *corr. ex* paterna *M.* **22** FIDES] F · *M, an legendum* Filiae? **29** extirpe *M.*

ADRIANUS · Credibile · [III 6]

SAPIENTIA · Nam eminentiores Italiae principes · fuere mei parentes · et vocor Sapientia ·

ADRIANUS · Claritas ingenuitatis rutilat in facie · et sa-
5 pientia nominis fulget in ore ·

SAPIENTIA · Frustra blandiris · non flectimur tuis sua- 7
delis ·

ADRIANUS · Dic cur advenires · vel quare nostrates adires ·

10 SAPIENTIA · Nullius alius rei nisi agnoscendę veritatis causa · quo fidem quam expugnatis plenius ediscerem · filiasque meas Christo consecrarem ·

ADRIANUS · Expone vocabula singularum · 8

SAPIENTIA · Una vocatur Fides · altera Spes · tertia Ka-
15 ritas ·

ADRIANUS · Quot annos aetatis volverunt?

SAPIENTIA · Placetne vobis o filię · ut hunc stultum aritmetica · fatigem disputatione?

FIDES · Placet mater · nosque auditum prebemus li-
20 benter ·

SAPIENTIA · O imperator si ętatem inquiris parvularum · 9
Karitas inminutum · pariter parem mansurnorum com-
fol. 121v plevit numerum · Spes autem aeque inminutum | sed pariter imparem · Fides vero superfluum · impariter parem ·

25 ADRIANUS · Tali responsione fecisti me quę interroga- 10
bam minime agnoscere ·

SAPIENTIA · Nec mirum · quia sub huius diffinitionis species · non unus cadit numerus sed plures ·

2 Italiae] ////ę *M,* Grecie *scr. Celt. in ras.;* italie *teste v. Winterf. p.* 6 suadelis *sine interp. sequ. M.* 19 FIDES] F · *M, an legendum* Filiae*?* 24 parem *corr. ex* imparem *M.* 28 species *mut. in* specie *M.*

ADRIANUS · Expone enucleacius · alioquin non capit [III] 11
meus animus ·

SAPIENTIA · Karitas duas olimpiades iam volvit · Spes
duo lustra · Fides tres olympiades ·

5 ADRIANUS · Et cur octonarius numerus qui duabus 12
constat olympiadibus et denarius qui duobus lustris perficitur imminutus dicitur · vel quare duodenarius qui tribus olimpiadibus impletur superfluus esse asseritur?

SAPIENTIA · Omnis namque numerus inminutus dici- 13
10 tur · cuius partes coniunctę · minorem illo numero cuius
partes sunt summę quantitatem reddunt · ut · VIII · Est
autem octonarii medietas · IIII · pars quarta · II · pars octava · I · quę in unum redactę septem reddunt · Similiter 14
denarius habet dimidiam partem · V · quintam autem
15 · II · decimam vero · I · quę simul copulatę · VIII · colligunt · E contrario autem superfluus dicitur · cuius partes 15
augendo crescunt ut · XII · Est enim duodenarii medietas · VI · pars tertia · IIII · pars quarta · III · pars sexta ·
II · pars duodecima · I · Hic cumulus redundat in sede- 16
fol. 122' 20 cim · Ut autem principalem non | prętereeam · qui inter
inęquales intemperantias medii temperamentum limitis
sortitus est · ille numerus perfectus dicitur · qui suis
aequus partibus nec auget nec minuit · ut · VI · Cuius
partes · id est · III · II · I · eundem senarium restituunt ·
25 Simili quoque ratione · XXVIII · CCCCXCVI · VIII milia
CXXVIII · perfecti dicuntur ·

ADRIANUS · Et quid reliqui? 17

SAPIENTIA · Omnes superflui sive imminuti ·

ADRIANUS · Quis numerus pariter par? 18

8 olimpiadibus *corr. ex* lustris *M.* **12** pars[1]] Pars *M.* **14** Quintam *M.* **16** econtrario *M.* **20** ut *M.* **29** *Versum hunc in marg. suppl. M.*

SAPIENTIA · Qui potest in duo aequalia dividi eiusque [III 18]
pars in duo aequalia · partisque pars · in duo aequalia ·
ac deinceps per ordinem · donec in insecabilem incurrat
unitatem · ut · VIII · et · XVI · omnesque qui ab his in
5 duplo fiunt ·

ADRIANUS · Et quis est pariter impar? 19

SAPIENTIA · Qui in partes aequales recipit sectionem ·
eiusque partes mox indivisibiles permanebunt · ut · X · et
omnes qui ab imparibus in duplo fiunt · Hic namque nu-
10 merus superiori est contrarius · quia in illo solus minor
terminus divisione est solutus · in isto autem solus maior
terminus divisioni est aptus · in illo quoque omnes eius
partes nomine et quantitate sunt pariter pares · in isto au-
tem si denominatio fuerit par · quantitas impar · si quan-
15 titas par · denominatio impar ·

ADRIANUS · Nec terminum quem dixisti agnosco · nec 20
denominationem · seu quantitatem scio ·

SAPIENTIA · Quando quantilibet numeri digestim dis-
fol. 122v ponuntur · primus minor | terminus · et postremus maior
20 dicitur · quando autem divisionem faciendo · quota pars
sit numeri dicimus · denominationem facimus · cum au-
tem quot in unaquaque parte sint enumeramus · quanti-
tatem exponimus ·

ADRIANUS · Et quis est impariter par? 21

25 SAPIENTIA · Qui non solum unam recipit sectionem sic-
ut pariter par · sed etiam et secundam · aliquoties autem
et tertiam vel plures · sed tamen usque ad indivisibilem
non perveniet unitatem ·

1 SAPIENTIA] S · *in ras. M.* **14** quantas *M (bis).* **16** ADRIANUS] AD · 1 *M.* **19** post tremus *M.* **22** enumeramus *sine interp. sequ. M.* **24** *Puncto simpl. interr. claud. M.*

ADRIANUS · O quam scrupulosa et plexilis questio ex [III] 22
istarum etate infantularum est orta ·

SAPIENTIA · In hoc laudanda est supereminens factoris sapientia · et mira mundi artificis scientia · qui non so-
5 lum in principio mundum creans ex nihilo omnia in numero · et mensura et pondere posuit · sed etiam in succedentium serie temporum et in aetatibus hominum miram dedit inveniri posse scientiam artium ·

ADRIANUS · Diu te sustinui ratiocinantem · quo te 23
10 mihi efficerem obtemperantem ·

SAPIENTIA · In quo?

ADRIANUS · In cultura deorum ·

SAPIENTIA · In hoc utique non consentio ·

ADRIANUS · Si reniteris · tormentis afficieris ·

15 SAPIENTIA · Corpus quidem suppliciis lacessere poteris · sed animum ad cedendum compellere non prȩvalebis ·

ANTIOCHUS · Dies abiit · nox incumbit · non est tempus altercandi · quia instat hora cȩnandi ·

ADRIANUS · In custodiam iuxta palatium ponantur · et
fol. 123r 20 triduanȩ | indutiȩ illis ad tractandum prȩstentur ·

ANTIOCHUS · Observate istas o milites omni sollicitu- 24
dine · nullam illis occasionem evadendi relinquite ·

SAPIENTIA · O dulces filiolȩ o carȩ pusiolȩ · nolite su- IV 1
per carceralis angustia custodiȩ contristari · nolite immi-
25 nentium minis poenarum terreri ·

FIDES · Licet corpuscula pavescant ad tormenta · mens tamen gliscit ad prȩmia ·

6 Sed *M.* 9 raciocinantem (cinan *in ras.) M.* 13 hoc *in ras. M.* 26 pauescant · ad tormenta *interp. M.*

SAPIENTIA · Vincite infantilis teneritudinem aetatulę · [IV 1]
maturi sensus fortitudine ·

SPES · Tuum est nos precibus adiuvare · ut possimus 2
vincere ·

5 SAPIENTIA · Hoc indesinenter exoro · hoc efflagito ut
perseveretis in fide · quam inter ipsa crepundia · vestris
sensibus non desistebam instillasse ·

KARITAS · Quod sugentes ubera in cunabulis didici- 3
mus · nullatenus oblivisci quibimus ·

10 SAPIENTIA · Ad hoc vos materno lacte affluenter alui ·
ad hoc delicate nutrivi · ut vos cęlesti non terreno sponso
traderem · quo vestri causa socrus aeterni regis dici me-
ruissem ·

FIDES · Pro ipsius amore sponsi · promtę sumus mori · 4

15 SAPIENTIA · Delector ex vestra racione · magis quam
nectareę dulcedinis gustamine ·

SPES · Premitte nos ante tribunal iudicis · et experieris
quantum eius amor nobis attulit temeritatis ·

SAPIENTIA · Hoc exopto ut vestra virginitate coroner ·
20 ut vestro martirio glorificer ·

fol. 123v SPES · Consertis palmulis incedamus · et vultum | ty- 5
ranni confundamus ·

SAPIENTIA · Expectate donec instet hora vocationis no-
strę ·

25 FIDES · Tedet nos morarum · Tamen est expectandum ·

ADRIANUS · Antioche iube illas Italicas nobis represen- V 1
tari captivas ·

2 maturi] i *in ras. M.* 7 desistebam *corr. ex* sistebam *M.*
14 FIDES] F · *M.* 25 FIDES] F · *M.* 26 Italicas] greculas *scr.
Celt. in ras. M,* italicas *teste v. Winterf. p.*

ANTIOCHUS · Procede Sapientia · teque cum filiabus [V 1]
imperatori representa ·

SAPIENTIA · Pergite mecum filię constanter · et perseverate in fide unanimiter · ut possitis palmam percipere
5 feliciter ·

SPES · Pergimus ipseque nobiscum comitetur · pro cuius amore ad mortem ducemur ·

ADRIANUS · Triduanas vobis indutias prestabat nostri 2
serenitas · unde si quid tractaretis utilitatis cedite iussio-
10 nibus nostris ·

SAPIENTIA · Summum igitur utile tractavimus · id scilicet ut non cedamus ·

ANTIOCHUS · Cur dignaris cum hac contumace verba 3
miscere · quę te insolenti fatigat praesumptione?

15 ADRIANUS · Debeone illam dimittere inpunitam?

ANTIOCHUS · Nequaquam ·

ADRIANUS · Et quid?

ANTIOCHUS · Hortare puellulas · et si renitantur · infantię ne parcas · Sed fac ut illae necentur · quo rebellis
20 mater funeribus natarum acrius torqueatur ·

ADRIANUS · Faciam quę hortaris ·

ANTIOCHUS · Ita demum prevalebis ·

ADRIANUS · Fides intuere venerabilem magnę Dianę 4
imaginem · et fer sacrę deę libamina · quo possis uti eius
25 gratia ·

FIDES · O stultum imperatoris pręceptum · omni contemptu dignum ·

ADRIANUS · Quid murmuras subsannando? quem irrides fronte rugosa?

fol. 124ʳ 30 FIDES · | Tui stulticiam irrideo · tui insipientiam subsanno ·

13 hac *corr. ex* hanc *M.* 19 ille *M.*

[V 4]

ADRIANUS · Mei?
FIDES · Tui ·
ANTIOCHUS · Imperatoris?
FIDES · Ipsius ·
5 ANTIOCHUS · O nefas ·
FIDES · Quid enim stultius · quid insipientius videri potest · quam quod hortatur nos contempto creatore universitatis · venerationem inferre metallis? 5
ANTIOCHUS · Fides insanis ·
10 FIDES · Antioche mentiris ·
ANTIOCHUS · Nonne haec summa insania · et magna est dementia · ut rerum principem dixisti insipientem?
FIDES · Dixi · et dico · dicamque quamdiu vixero ·
15 ANTIOCHUS · Breve tempus vivere · et cito debes consumi morte ·
FIDES · Hoc opto · ut moriar in Christo ·
ADRIANUS · Duodecim centuriones · alternando · scindant flagris eius membra · 6
20 ANTIOCHUS · Nec iniuria ·
ADRIANUS · O fortissimi centuriones accedite · meique iniuriam vindicate ·
ANTIOCHUS · Iustum ·
ADRIANUS · Perquire Antioche · anne velit cedere ·
25 ANTIOCHUS · Vin adhuc Fides solita convitiorum obiectione imperatorem dehonestare? 7
FIDES · Cur solito minus?
ANTIOCHUS · Quia prohiberis verberibus ·
FIDES · Verbera non conpellunt me tacere · quia nullo
30 affitior dolore ·

12 ut *mut. in* quod *M.* 26 imperatorem *corr. ex* imperatoris *M.* dehonestare] re *in ras. M,* dehonestasse *coni. Str.* 28 uerberibus *sine interp. sequ. M.*

ANTIOCHUS · O infelix pertinacia · o contumax audatia · [V 7]

ADRIANUS · Corpus fatiscit per supplicia · et mens tumet superbia · 8

5 FIDES · Erras Adriane · si reris me fatigari suppliciis · non ego quidem · sed infirmi tortores deficiunt · et sudore ob lassitudinem fluunt ·

ADRIANUS · Fac Antioche ut gemellę pectoris particulę abscidantur · quo saltim rubore coerceatur · 9

fol. 124v 10 ANTIOCHUS · O utinam possit | ullo coerceri modo ·

ADRIANUS · Forsan coercebitur ·

FIDES · Inviolatum pectus vulnerasti · sed me non lesisti · En pro fonte sanguinis · unda prorumpit lactis ·

ADRIANUS · In craticulam substratis ignibus assanda 10
15 ponatur · quo vi vaporis enecetur ·

ANTIOCHUS · Digna est ut miserabiliter pereat · quę tuę iussioni contraluctari non trepidat ·

FIDES · Omne quod paras ad dolorem · mihi vertitur in quietem · unde commodę pauso in craticula · ceu in tran-
20 quilla navicula ·

ADRIANUS · Sartago plena pice et cęra ardentibus rogis superponatur · et in ferventem liquorem haec rebellis mittatur · 11

FIDES · Sponte insilio ·

25 ADRIANUS · Consentio ·

FIDES · Ubi sunt minę tuę? ecce illesa · inter ferventem liquorem ludens nato · et pro vi caumatis · sentio matutini refrigerium roris ·

ADRIANUS · Antioche quid ad hec est agendum? 12

30 ANTIOCHUS · Ne evadat providendum ·

ADRIANUS · Capite truncetur ·

13 en *M.* prorumpit] *ita k,* erumpit (e *in ras.) M.*

ANTIOCHUS · Alioquin non vincetur · [V 12]

FIDES · Nunc est gaudendum · nunc in domino exultandum · 13

SAPIENTIA · Christe triumphator diaboli invictissime · 5 da tolerantiam Fidei meę filię ·

FIDES · O mater veneranda · dic vale ultimum tuę filię · liba osculum tuę primogenitę · nec afficiare ullo merore cordis · quia tendo ad bravium aeternitatis ·

SAPIENTIA · O filia · filia · non confundor · non contri- 10 stor · sed valedico tibi exultando · et osculor os · oculos- *fol. 125r* que prę | gaudio lacrimando · orans ut sub ictu percussoris · inviolatum serves misterium tui nominis ·

FIDES · O uterinę sorores · libate mihi osculum pacis · 14 et parate vos ad tolerantiam futuri certaminis ·

15 SPES · Adiuva nos oratione assidua · ut mereamur sequi tua vestigia ·

FIDES · Este obtemperantes monitis nostrę sanctę parentis · quę nos hortabatur presentia fastidire · quo meruissemus aeterna percipere ·

20 KARITAS · Maternis libenter obtemperamus monitis · quo perfrui mereamur aeternis bonis ·

FIDES · Percussor accede · et iniunctum tibi offitium me necando imple ·

SAPIENTIA · Abcisum morientis filię caput amplec- 15 25 tendo · impressisque labris crebrius deosculando · congratulor tibi Christe · qui tantillulę victoriam prestitisti puellulę ·

ADRIANUS · Spes · cede meis hortamentis · paterno af- 16 fectu tibi consulentis ·

30 SPES · Quid hortaris? quid consulis?

2 nunc[2]] Nunc *M.* 7 afficiare *corr. ex* efficiare *Celt. in M.* 24 amplectendo *corr. ex* amplectando *M.*

Adrianus · Ut caveas pertinatiam imitari sororis · ne [V 16]
similibus intereas poenis ·
Spes · O utinam admeruissem illam imitari patiendo ·
quo illi assimilarer in premio ·
5 Adrianus · Depone callum pectoris · et conquinisce 17
turificando magnę Dianę · et ego te proprię prolis vice
excolo · atque extollo omni dilectione ·
Spes · Paternitatem tuam repudio · tua benefitia mi-
fol. 125v nime desidero · quapropter vacua spe | deciperis · si me
10 tibi cedere reris ·
Adrianus · Loquere parcius ne irascar ·
Spes · Irascere · nec sollicitor · 18
Antiochus · Miror auguste · quod ab hac vili puellula
tam diu calumniari pateris · ego quidem disrumpor pre
15 furore · quia illam audio tam temere in te latrare ·
Adrianus · Hactenus infantię parcebam · ultra non
parcam · sed meritam ultionem inferam ·
Antiochus · O utinam ·
Adrianus · O lictores adite · et hanc rebellem usque 19
20 ad interniciem crudis nervis caedite ·
Antiochus · Decet ut severitatem sentiat tui furoris ·
quia lenitatem parvi pendit pietatis ·
Spes · Hanc pietatem exopto · hanc lenitatem desi-
dero ·
25 Antiochus · O Sapientia quid murmurando loqueris · 20
stans sublevatis oculis iuxta cadaver extinctę prolis?
Sapientia · Invoco omniparentem · quo eandem tole-
rantię perseverantiam quam prestitit Fidei · prestet et
Spei ·
30 Spes · O mater · mater · quam efficaces · quam exau- 21

2 poenis *corr. ex* poenas *M.* **11** partius *M.* **20** internicē *M.* cedite *M.* **30** matermater · *M.*

dibiles experior esse tui preces · Ecce te orante · anheli [V 21]
tortores · levatis dextris librant ictum · et ego nullum doloris sentio tactum ·

ADRIANUS · Si flagra parvi pendis · acrioribus poenis
5 coartaberis ·

SPES · Infer infer quicquid crudele · quicquid excogites loetale · Quanto plus sevis · tanto magis victus confunderis ·

ADRIANUS · In aera suspendatur · et ungulis laceretur · 22
10 quoadusque evulsis visceribus et nudatis ossibus deficiat ·
fol. 126ʳ et mem|bratim crepat ·

ANTIOCHUS · Imperialis iussio · et congrua satis ultio ·

SPES · Vulpina fraude loqueris · et versipelli astutia Antioche adularis ·

15 ANTIOCHUS · Quiesce infelix · verbositas tua nunc est finienda ·

SPES · Non ut speras evenerit · sed tibi tuoque principi nunc etiam confusio aderit ·

ADRIANUS · Quid sentio novę dulcedinis? quid odoror 23
20 stupendę suavitatis?

SPES · Decidentia frusta mei lacerati corporis · dant flagrantiam paradisiaci aromatis · quo nolens cogeris fateri · me non posse suppliciis ledi ·

ADRIANUS · Antioche · quid enim mihi est agendum?

25 ANTIOCHUS · Novis cruciatibus incumbendum ·

ADRIANUS · Aeneum vas plenum oleo et adipe · cera 24
atque pice · ignibus superponatur · in quod ligata proiciatur ·

ANTIOCHUS · Si in ius Vulcani tradetur · forsitan eva-
30 dendi aditum non nanciscetur ·

4 pęnis *M.* **7** quanto *M.* **22** flagrantiam *corr. in* fragrantiam *man. post. M.* eris fateri · m *in ras. M.* **26** Eenevm ua *in ras M.*

SPES · Haec virtus Christo non est insolita · ut ignem [V 24]
faciat mitescere mutata natura ·

ADRIANUS · Quid audio Antioche · velut sonitum in- 25
undantis aque?

5 ANTIOCHUS · Heu heu domine ·

ADRIANUS · Quid contigit nobis?

ANTIOCHUS · Ebulliens fervor confracto vase ministros
combussit · et illa malefica illesa comparuit ·

ADRIANUS · Fateor · victi sumus ·

10 ANTIOCHUS · Penitus ·

ADRIANUS · Caput abscidatur · 26

ANTIOCHUS · Alias non absumetur ·

SPES · O Karitas dilecta · o soror unica · ne formides
tyranni minas · ne trepides ad poenas · nitere · constanti
fol. 126ᵛ 15 fide imitari sorores · ad cę|li palatium precedentes ·

KARITAS · Tedet me vitę presentis · taedet terrenę habi-
tationis · quod saltim ad modicum temporis separor a vo-
bis ·

SPES · Depone tedium · et tende ad pręmium · non
20 enim diu separabimur · sed otius in cęlo coniungemur ·

KARITAS · Fiat fiat ·

SPES · Euge mater illustris · gaude · nec tangaris de 27
mei passione materni affectus dolore · sed prefer spem
merori cum me videas pro Christo mori ·

25 SAPIENTIA · Nunc quidem gaudeo · sed tunc tandem
perfecte exultans gaudebo · quando tui sororculam · pari
conditione extinctam · cęlo pręmisero · et ego subsequar
postrema ·

SPES · Perennis trinitas · restituet tibi in evum · ple-
30 num absque diminutione filiarum numerum ·

11 abscidatur *corr. ex* abcidatur *M.* **14** pęnas *M.* **22** illustris *sine interp. sequ. M.* **26** sororculam *sine interp. sequ. M.*

SAPIENTIA · Confortare filia · percussor invadit nos evaginato gladio · [V] 28

SPES · Libens excipio gladium · Tu Christe suscipe spiritum pro tui confessione nominis · eiectum de habitaculo corporis · 5

SAPIENTIA · O Karitas · suboles inclita · spes uteri mei unica ne contristes matrem bonam tui certaminis consummationem expectantem · sed sperne presens utile · quo pervenias ad gaudium interminabile · quo tui germanę fulgent coronis illibatę virginitatis · 29 10

KARITAS · Fulci me mater · precibus sacris · quatenus merear interesse illarum gaudiis · 30

fol. 127r SAPIENTIA · Exoro te · finetenus in fide | solidatum iri · nec dubito tibi perennę tripudium donatum iri ·

15 ADRIANUS · Karitas · saturatus conviciis tui sororum · nimiumque exacerbatus sum prolixa ratione earum · unde diu tecum non contendo · sed vel optemperantem mei votis ditabo omnibus bonis · vel contraluctantem afficiam malis · 31

20 KARITAS · Bonum cordetenus amplector · et malum omnino detestor ·

ADRIANUS · Hoc tibi potissimum salubre · mihique est placabile · ideoque leve quiddam tibi prepono meę pietatis gratia · 32

25 KARITAS · Quid?

ADRIANUS · Dic tantum · 'magna Diana' · et ego ultra ad sacrificandum te non compello ·

KARITAS · Percerte non dico ·

2 gladio] la *in ras. M.* 4 eiectvm *in ras. M.* 6 sŏboles *M.* 7 certaminis] taminis *in ras. M.* 11 mater *sine interp. sequ. M.* 13 te finetenus · *interp. M.* 18 affitiam *corr. ex* affitiat *man. post. M.*

ADRIANUS · Quare? [V 32]

KARITAS · Quia mentiri nolo · Ego quidem et sorores 33
meae · eisdem parentibus genitae · eisdem sacramentis
imbutae · sumus una eademque fidei constantia roboratę ·
5 quapropter scito nostrum velle · nostrum sentire · nostrum sapere · unum idemque esse · nec me in ullo umquam illis dissidere ·

ADRIANUS · O iniuria · quod a tantilla etiam contemp- 34
nor homullula ·

10 KARITAS · Licet tenella sim aetate · tamen gnara sum
te argumentose confundere ·

ADRIANUS · Abstrahe illam Antioche et fac ut suspensa
in eculeo · atrociter verberetur ·

ANTIOCHUS · Vereor quod verbera non prevaleant ·

15 ADRIANUS · Si non prevaleant · iube tribus continuis 35
diebus ac noctibus · fornacem succendi · et illam inter
bachantes flammas proici ·

fol. 127v KARITAS · O iudicem in|potentem qui diffidit se absque armis ignium · octuennem infantem superare posse ·

20 ADRIANUS · Abi Antioche et iniunctum offitium perfice ·

KARITAS · Sevitię quidem tuę satisfaciendo parebit · 36
sed me minime nocebit · quia nec verbera mei corpusculum · lacerare · nec flamme comam vel vestes poterunt
25 obfuscare ·

ADRIANUS · Experietur ·

KARITAS · Experiatur ·

---

2 ego *M.* 3 mee *sine interp. sequ. M.* genitę *sine interp. sequ. M.* eisdem[2]] hisdem *(*hi *in ras.) M.* sacramentis · inbutę sumus · *M.* 5 consentire *M.* 25 obfuscare] ob *in ras. M.*

ADRIANUS · Antioche quid pateris? cur tristior solito regrederis? VI 1

ANTIOCHUS · Quando causam tristicie experieris · haut minus contristaberis ·

5 ADRIANUS · Dic · ne celes ·

ANTIOCHUS · Illa lasciva quam mihi cruciandam tradidisti puellula · me presente flagellabatur · sed ne tenuis quidem cutis summotenus disrumpebatur · Deinde proieci illam in fornacem · igneum colorem prae nimio ar-

10 dore exprimentem ·

ADRIANUS · Cur dissimulas loqui? expone exitum rei · 2

ANTIOCHUS · Flamma erupit · et quinque milia hominum combussit ·

ADRIANUS · Et quid contigit illi?

15 ANTIOCHUS · Karitati?

ADRIANUS · Ipsi ·

ANTIOCHUS · Ludens inter flammivomos vapores vagabat · et illaesa laudes deo suo pangebat · Illi etiam qui diligenter inspexere · ferebant tres candidulos viros cum

20 illa deambulasse ·

ADRIANUS · Erubesco illam ultra videre · quia nequeo illam ledere · 3

ANTIOCHUS · Restat ut perimatur gladio ·

ADRIANUS · Hoc fiat absque mora ·

---

25 ANTIOCHUS · Detege duram Karitas cervicem et sustine percussoris ensem · VII 1

4 contristaris *M.* **6** cruciandam *corr. ex* cruciendam *M,* -iendam *teste v. Winterf. p.* **7** ne *supr. lin. M.* **8** proieci] e *supr. lin. M.* **10** exprimentem] ri *supr. lin. loco duarum litt. erasarum M.* **18** Illaesa] illa *M.* Illi *litt. min. inc. M.* **19** tres viros candidulos *k.*

KARITAS · In hoc non renitor tui votis · sed libens pa- [VII 1]
reo iussis ·

fol. 128r SAPIENTIA · Nunc nunc filia gratulandum | nunc in
Christo est gaudendum · nec est quę me mordeat cura ·
5 quia secura sum de tua victoria ·

KARITAS · Inprime mihi mater osculum · et commenda 2
iturum Christo spiritum ·

SAPIENTIA · Qui te in meo utero vivificavit · ipse susci-
piat animam quam cęlitus inspiravit ·

10 KARITAS · Tibi Christe gloria qui me ad te vocasti ·
cum martyrii palma ·

SAPIENTIA · Vale proles dulcissima · et cum Christo
iungaris in cęlo · memento matris · iam patrona effecta te
parientis ·

---

15 ⟨SAPIENTIA ·⟩ Convenite illustres matronę et mearum **VIII** 1
cadavera filiarum mecum sepelite ·

MATRONAE · Corpuscula aromatibus condimus et exe-
quias honorifice celebramus ·

SAPIENTIA · Grandis benignitas · et mira pietas · quam
20 mihi inpenditis · meique mortuis ·

MATRONAE · Quę tibi sunt commoda exequimur mente
devota ·

SAPIENTIA · Non dubito ·

MATRONAE · Ubi vis eligere locum sepulturę? 2

25 SAPIENTIA · Tercio miliario ab urbe si vobis non displi-
cet prolixitas ·

MATRONAE · Non displicet · sed elata funera sequi pla-
cet ·

---

4 gaudendum] endvm *in ras. M.* **13** matrona *M!* **26** prolix-
tas *M.*

SAPIENTIA · Ecce locus · IX 1

MATRONAE · Hic nempe servandis reliquiis est aptus ·

SAPIENTIA · Flosculos uteri mei · tibi terra servandos committo · quos tu materiali sinu foveto · donec in resur-
5 rectione maiori reviridescant gloria · et tu Christe animas interim imple splendoribus dans pacificam requiem ossibus ·

MATRONAE · Amen ·

SAPIENTIA · Grates vestrę humanitati · pro solamine 2
fol. 128v 10 quod contulistis meę | orbitati ·

MATRONAE · Utrumne vis nos hic tecum morari?

SAPIENTIA · Non ·

MATRONAE · Cur non?

SAPIENTIA · Ne ex meo commodo · vobis ingeratur mo-
15 lestia · sit satis · quod tres noctes mecum permansistis · Abite in pace · revertimini cum salute ·

MATRONAE · Vis nobiscum abire? 3

SAPIENTIA · Minime ·

MATRONAE · Et quid meditaris agere?

20 SAPIENTIA · Hic remanere si forte veniat mea peticio · et impleatur quod desidero ·

MATRONAE · Quid petis? Quid desideras?

SAPIENTIA · Id solummodo ut oratione completa moriar in Christo ·

25 MATRONAE · Restat ut expectemus donec et te sepulturę tradamus ·

SAPIENTIA · Ut libet · Adonay · Emmanuel · quem retro 4
tempora divinitas edidit omniparentis · et in tempore vir-

2 aptus] vs *in ras. M.* 3 seruandos *corr. ex* seruandas *M.* 4 faueto *M.* 11 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 14 commodo] o[3] *in ras. M.* 15 satis quod · *interp. M.* 16 abite *M.* pace *sine interp. sequ. M.* 19 *Puncto simpl. interr. claud. M.* 28 ædidit *M.*

ginitas genuit matris · qui ex duabus naturis unus Christus · mirificę consistis · nec diversitate naturarum · unitatem personę dividens · nec unitate personę diversitatem naturarum confundens · tibi iubilet iocunda serenitas · angelorum · dulcisque armonia · syderum · te quoque collaudet · totius scibilis rei scientia · omneque quod ex elementorum formatur materia · quia tu qui solus cum patre et spiritu sancto es forma sine materia · ex patris voluntate et spiritus sancti cooperatione non respuisti fieri homo · passibilis humanitate · salva divinitatis inpassibilitate · et ut nullus in te credentium periret · sed omnis fidelis aeterna|liter viveret · mortem nostram non dedignatus es gustare · tuaque resurrectione consumere · Te etiam perfectum deum hominemque verum · recolo promisisse omnibus qui pro tui nominis veneratione vel terrenę usum possessionis relinquerent · vel carnalium affectum propinquorum postponerent centenę vicissitudinem mercedis recompensari · et eternę bravium vitę debere donari · Huius spe animata promissi · feci quod iussisti · sponte omittens suboles quas peperi · Unde tu pie promissa solvere ne moreris · sed fac me quantocius absolutam corporeis vinculis ex receptione filiarum letificari · quas pro te mactandas obtulisse non distuli · quo te illis agnum virginibus sequentibus et novum canticum modulantibus ego iocunder audiendo · illarumque letificer gloria · et quamvis non possim canticum virginitatis dicere · te tamen cum illis merear aeternaliter laudare · qui non ipse qui pater · sed idem es quod pater · cum quo et spiritu sancto unus dominus universitatis · unusque

[IX 4] 5 6 7 8 9 — 5 10 15 20 25 — *fol. 129ʳ*


8 es · forma sine materia *interp. M.* **10** Salua *M.* **17** uicissitudinem *mut. in* uicissitudine *M.* **19** huius *M.* **20** sŏboles *M.* **21** quantotius *M.* **24** uirginis *M.* **26** possim *corr. ex* possun *(?) M.*

rex summę · et medię atque imę rationis · regnas et dominaris · per interminabilia inmortalis ęvi saecula · [IX 9]

MATRONAE · Suscipe domine · Amen ·

---

3 amen *M.* *Sequuntur in M, fol. 129v, versus e Bedae Historia ecclesiastica (IV 18 [20]) excerpti, quorum acrostichon* AMEN *pars est versiculi litt. maiusculis a summo ad imum et in margine dextera ab imo ad summum scripti:* Dicat Amen, quicumque viam cupit ire salutis. *Videsis pagina aversa imaginem ope lucis expressam.*



Codex latinus Monacensis 14485, fol. 129ᵛ,
exaratus ca. a. 980, fortasse in ipso coenobio Gandeshemensi

⟨APPENDIX: IOHANNES SIVE TITULI IN LIBRO APOCALYPSIS⟩

fol. 130ʳ Iohannes cęlum virgo vidit patefactum — I
Et nitido rerum patrem solio residentem
Ordine bis duodenorum pulchro seniorum
Stipatum, claris qui prefulsere coronis,
5 Omnes induti vestes candoris opimi;
Vidit et in dextra regis librum residentis,
Secretum cuius potis est vir cernere nullus.
Angelus hic dignum querens non repperit ullum,
Solvere qui clausi posset signacula libri.
10 Istec Iohannem consolatur lacrimantem — II
Agnum solvendis aptum testando sigillis.
Ecce patent agno libri secreta perempto; — III
Cui mox celicolę laudem proni cecinere.
En testes clara clamantes voce sub ara — IV
15 Accipiunt vestes nitido candore micantes.
Angelus a solis veniens ortu rutilantis — V
Designat regis servos in fronte perennis.
Post haec candidulas aspexit stare catervas — VI
Agnum laudantes palmas manibusque ferentes.
20 Ecce silent media cęli cives velut hora. — VII
Hic iuxta sacram cum turibulo stetit aram — VIII
Et tulit incensum signans sacra vota piorum.
En mulier pulchrę fulget circumdata sole — IX
Bis senum nitida stellarum compta corona,
fol. 130ᵛ 25 Cuius vult natum serpens sorbere tenellum.
Sed draco proteritur, puer ad dominumque levatur,

2 nitito *M.* **6** dextera (ter *in ras.*) *M.* **8** erit ullvm *in ras. M.* **10** Iste *M.* **13** Qui *M.* **15** nitito *M.* **22** sacra *corr. ex* sarra *M.* **24** Dis *M.* nitito *mut. ex* niteto *M.*

Et draco de cęlo cecidit proiectus in arva.
Hic agnum stantem supra Syon aspice montem **X**
Et nova virgineum modulantem cantica coetum.
30 Haec fera congreditur sanctis virtute draconis. **XI**
Quam prostravit equo Verax egressus in albo;
Iste ligat veterem sub Tartara seva draconem.
En vitę libri mortisque tenentur aperti, **XII**
Et surgent vivi, fuerant qui morte soluti;
35 Quis sua pro meritis dantur mox pręmia cunctis.

⟨LIBER TERTIUS⟩
⟨PARS PRIOR⟩

⟨PRAEFATIO⟩

Gerbergę illustri abbatisse · cui pro sui eminentia probi- 1
tatis haut minor obsequela venerationis · quam pro in-
signi regalis stemmate generositatis · Hrotsvit · Gandes-
hemensis ultima ultimarum sub huiusmodi persone do-
5 minio militantium · quod famula herae ·
O mea domna quę rutilanti spiritalis varietate sapien- 2
tię praelucetis · non pigescat vestri almitiem perlustrare
quod vestra confectum si ignoratis ex iussione · Id qui- 3
dem oneris mihi inposuistis ut gesta cęsaris augusti · quę
10 nec auditu · unquam affatim valui colligere · metrica per-
fol. 131ʳ currerem ratione · In huius sudore progres|sionis · quan- 4
tum meę inscicię difficultatis obstiterit · ipsa coniicere
potestis · quia haec eadem nec prius scripta repperi · nec 5
ab aliquo digestim sufficienterque dicta elicere quivi ·
15 sed veluti si aliquis nescius · ignoti per latitudinem saltus
esset iturus · ubi omnis semita nivali densitate velaretur
obducta · hicque nullo duce · sed solo pręmonstrantium
nutu inductus · nunc per devia erraret · nunc recti trami-
tem callis inprovise incurreret · donec tandem emensa ar-

3 Hrotsuit *corr. ex* Hrosuit *M.* 5 herae] erę *(sine interp. sequ.) M.* 6 O] *init. litt. M.* 7 perlucetis *M.* almiē *M.* 8 uestro *M.* id *M.* 10 colligere *sine interp. sequ. M.* 14 digestvm *M.* sufficienterque *corr. ex* sufficiterque *M.*

boreę medietate spissitudinis · locum optatę comprehenderet quietis · illicque gradum figens ulterius progredi non presumeret · usque dum vel alio superveniente induceretur · vel precedentis vestigia subsequeretur · haut ali- 6
5 ter ego magnificarum · prolixitatem rerum iussa ingredi · regalium multiplicitatem gestorum nutando et vacillando egerrime transcurri · hisque admodum lassata competenti · in loco pausando silesco · nec augustalis proceritatem excellentiae sine ducatu appono subire · Si enim fa- 7
10 cundissimis disertissimorum sententiis · quas vel modo scriptas · vel otius de his rebus non dubito fore scribendas · fuerim animata · fortasse nanciscerer unde mei rusticitas velaretur aliquantisper · Nunc autem omne latus 8
fol. 131v tanto magis caret defensione · quan|to minus ulla fulcitur
15 auctoritate · Unde etiam vereor me temeritatis argui · tendiculasque multorum non devitare convitii eo quod pomposis facete urbanitatis exponenda eloquentiis praesumpserim dehonestare inculti vilitate sermonis · Si ta- 9
men sane mentis examen accesserit · quę res recte pen-
20 sare non nescit · quanto sexus fragilior scientiaque minor · tanto venia erit facilior · presertim cum si meę presumptionis · sed vestrum causa iussionis · huius stamen opusculi coeperim ordiri ·
Cur tamen aliorum iuditia formido · quę vestri solum- 10
25 modo censurę si quid fefelli obnoxia existo? vel cur nequeam devitare convicia · quę solummodo · silentio studere debeo · ne · si seriem pro sui vilitate nulli ostendendam velim propalari · merito omnium succumbam repre-

6 multiplicitate *M.* 7 transcurre *M.* lassata] lacessita *M.* 9 excellente *M.* 10 dissertissimorvm *M.* 11 scribendas *sine interp. sequ. M.* 16 deuiare *M.* 17 fa/cete *M.* eloquentivs *M.* 20 nescit *sine interp. sequ. M.* 23 ceperim *M.* 25 existo *sine interp. sequ. M.* 27 ne *sine interp. sequ. M.* 28 represensioni *M.*

hensioni? Vestro autem · vestrique familiarissimi cui 11
hanc rusticitatem sanxistis pręsentatum iri · scilicet archipresulis Wilhelmi iudicio · quoquo modo factum sit estimandum relinquo ·

⟨PROLOGUS AD OTTONEM [I] IMPERATOREM⟩

fol. 132r **P**ollens imperii regnator cęsariani,
Oddo, qui regis pietate favente perennis
In sceptris augustalis pręclarus honoris
Augustos omnes superas pietate priores,
5 Quem plures gentes passim metuunt habitantes,
Muneribus variis Romanus donat et orbis!
Exiguum munus ne spernas carminis huius,
Iste sed oblatus laudum placeat tibi census,
Quem postrema gregis solvit tibi Gandeshemensis,
10 Quem dulcis patrum collegit cura tuorum,
Continuumque tibi debet studium famulandi.
Forsan gestorum plures scripsere tuorum,
Et sunt scripturi post haec insignia multi:
Sed non exemplum quisquam mihi prębuit horum,
15 Nec scribenda prius scripti docuere libelli;
Causa sed est operis tantum devotio mentis,
Hec et ad audendum suadebat opus metuendum.
Nam sat formido, quod gesta tui modulando
Incaute sim falsa sequens, non vera retexens:
20 Sed non hoc suasit mala mis praesumptio mentis
Nec summa veri contempta sponte fefelli;

prol. 2 fouente *M.* 15 Hec *M.*

Sed res, ut scripsi, sese sic prorsus habere
Ipsi dicebant, mihi qui scribenda ferebant.
Hinc augustalis pietas non spernat honoris,
*fol. 132*v 25 Quod supplex humilis gessit devotio mentis;
Et, cum te libri laudantes congrue multi
Post hęc scribantur meritoque placere probentur:
Ordine postremus non sit tamen iste libellus,
Quem prius exemplo constat scriptum fore nullo;
30 Et, licet imperii teneas decus Octaviani,
Non dedigneris vocitari nomine regis,
Donec perscripto vitę regalis honore
Ordine digesto necnon sermone decoro
Dicatur sceptri decus imperiale secundi.

⟨PROLOGUS AD OTTONEM [II] IMPERATOREM⟩

Oddo, Romani pręfulgens gemmula regni,
Oddonis flos augusti splendens venerandi,
Cui rex altithronus perpes quoque filius eius
Prestitit imperium pollens in vertice rerum:
5 Vilem ne spernas vilis textum monialis,
Quem presentari, si digneris reminisci,
Ipse tui claris iussisti nuper ocellis;
Et cum perspicias maculis sordescere crebris,
Ad celerem tanto veniam mox pronior esto
10 In monstrando tuis quantum plus pareo iussis:
Si tis praecepto non urgerer metuendo,

25 simplex *M.* **30** dęcus *M.* octauiani *corr. ex* octauiane *M.*
9 celerem *corr. ex* scelerem *Celt. in M.*

Non foret ullomodo mihimet fiducia tanta,
Ut tibi praesentis scrutandum rusticitatis
Auderem satis exiguum prȩferre libellum;
fol. 133ʳ 15 Qui prestante deo patri subiunctus in aula
Ipsius et monitis promptus parere paternis
Par decus imperii retines concorditer ampli
Conportans dextra sceptrum regale tenella.
Sed quia te memini sublimiter assimilari
20 Nato famosi regis David Salomoni,
Qui genitore suo presente iubenteque sancto
Optata regnum suscepit pace paternum,
Ipsius exemplo te contentum fore spero;
Qui cum regnando resideret in arce superba
25 Prudenter legum condens decreta sacrarum
Ac penetrans animo rerum secreta profundo,
Nunc libet et minimis mentem laxare rimandis,
Sed nec conflictum fastidit rite duarum
Solvere iuditii celeri discrimine recti,
30 Prolem restitui verȩ mandans genitrici.
Hinc supplex te posco quidem, nostrum Salomonem,
Ut, licet imperii tenearis sollicitandi
Cura, digneris tamen et propriȩ monialis
Ludendo seriem nunc lectitare recentem,
35 Quo male compositis verbis mox decidat omnis
Rusticitas oris de tractibus imperialis
Nominis, et titulo signata tui venerando
Despectus nimia meriti tueantur ab aura.

---

14 Auderem *corr. ex* Audarem *Celt. in M.* **15** subivnctus *corr. ex* subinctus *man. post. M.* **16** monitis *corr. ex* monitus *Celt. in M.* parere] e[1] *corr. Celt. in M.* **17** concorditer] cord *in ras. M.* **32** Et *M.* **34** Lugendo *M.*

⟨GESTA OTTONIS⟩

fol. 133ᵛ POSTQUAM REX REGUM, QUI SOLUS REGNAT IN ĘVUM
Per se cunctorum transmutans tempora regum
Iussit Francorum transferri nobile regnum
Ad claram gentem Saxonum nomen habentem
5 A saxo per duriciam mentis bene firmam,
Filius Oddonis magni ducis et venerandi,
Scilicet Henricus, suscepit regia primus
Iusto pro populo moderamine sceptra gerenda.
Hic pollens quantę fuerat bonitatis honore
10 Et quanta populos rexit pietate subactos
Qualiter et reges meritis tunc temporis omnes
Pręminet eximiis, excedit denique vilis
Huius carminuli textum nimium viciosi.
Nam fuit immitis reprobis, blandus quoque iustis,
15 Summo conservans studio legalia iura,
Aequa satis meritis reddens quoque praemia cunctis.
Huic rex pacificus dederat de sidere Christus
Eius civilem vitę per tempora pacem;
Omine felici tenuit quoque culmina regni,
20 Ni fallor, denos labentis temporis annos
Necnon bis ternos multum feliciter actos
Conregnante sua Mathilda coniuge clara,
Cui nunc in regno non compensabitur ulla,
Quę posset meritis illam superare supremis.
fol. 134ʳ 25 Trina quibus deitas dederat tres denique natos
Iam tunc felici disponendo pie genti,

1 *Post init. litt.* P *minusculis pergit M.* **4** saxonum *corr. ex* saxorium *Celt. in M.* **7** regia *corr. ex* regna *man. post. M.* **12** eximiis *mut. in* eximius *Celt. in M.* uilis *mut. in* uilos *Celt.(?) in M.* **16** Equa *M.* **17** de sidere *corr. ex* dissidere *M.*

Ne post Henrici mortem, regis venerandi,
Imperium regni male surriperent scelerosi,
Hi sed regalis nati de germine stirpis
30 Rexissent regnum concordi pace paternum;
Quamvis dissimiles his servarentur honores
Binis regnanti subiectis scilicet uni.

Inter quos primus fulsit ceu lucifer ortus
Oddo micans radiis nimium clarę bonitatis,
35 Gratia quem regis solita pietate perennis
Rectorem plebi previdit rite fideli.
Hic aetate prior fuerat, meritis quoque maior,
Congruus et sceptris defuncto patre gerendis.
Non opus est verbis eius summam probitatis
40 Dicere vel pueri meritum laudabile tanti,
Cui Christus talem iam nunc augessit honorem,
Possidet ut Romam pollenti iure superbam,
Quę semper stabilis summum fuerat caput orbis,
Edomat et gentes Christo favente feroces,
45 Quę prius ecclesiam laniabant sepe sacratam.
Post hunc Henricus fuerat feliciter ortus
Inpositoque patris famosus nomine regis,
Provida quem domini pariter sapientia Christi
fol. 134v Dignatur servare ducem populo bene fortem,
50 Belliger ut fortis, belli doctissimus artis,
Fortiter ecclesiam premuniret venerandam
Ceu murus iaculis obstans fortissimus hostis.
Post hunc ęcclesię pastor Brun nascitur almę,
Gratia pontificis quem duxit summa perennis
55 Dignum catholici curam gestare popelli;
Hinc quoque divino nutu patris pia cura
Ipsum servitio Christi fecit religari

57 religari *corr. ex* religali *Celt. in M.*

Abstractum gremio care nutricis amando,
Ut regni pompis posset constare relictis
60 Miles stelligera semper regnantis in aula.
At Christus, patris sapientia vera perennis,
Tironem refovendo suum clementius istum
Ipsi dona dedit tantę preclara sophię,
Quod non est illo penitus sapientior ullus
65 Inter mortales fragilis mundi sapientes.

His igitur pueris regali more nutritis
Ipsorum patri famoso denique regi
Henrico placuit, factis quod rite replevit,
Ut, vite calidas sospes dum carperet auras,
70 Ipse suo primogenito regique futuro
Oddoni dignam iam disponsaret amicam,
Quę proprie proli dignę posset sociari.
fol. 135r Hanc non in proprio voluit conquirere regno,
Trans mare legatos sed transmisit bene cautos
75 Gentis ad Anglorum terram sat deliciosam
Demandans, ut continuo cum munere misso
Aeduuardi regis natam peterent Eaditham,
Quę patre defuncto iam tunc residebat in aula
Fratre suo regni sceptrum gestante paterni;
80 Quem peperit regi consors non inclita regni,
Istius egregię genitrix clarissima domne,
Altera sed generis mulier satis inferioris.

Haec nam versiculis proles quam scriptito regis,
Haec, inquam, fama cunctis fuerat bene nota:
85 Nobilitate potens, primis meritis quoque pollens,
Edita magnorum summo de germine regum;

73 propria *M.* **76** cum munere] commune *del. et* conamine *scr. supr. lin. Celt. in M.* **82** mulier *corr. ex* milier *Celt. in M.*

Cuius preclaro facies candore serena
Regalis forme miro rutilabat honore;
Ipsaque perfectę radiis fulgens bonitatis
90 In patria talis meruit preconia laudis,
Ut fore iuditio plebis decernitur omnis
Optima cunctarum, quę tunc fuerant, mulierum.
Nec mirum, meritis si lucebat bene primis,
Germen sanctorum quam producebat avorum:
95 Hanc tradunt ergo natam de stirpe beata
Oswaldi regis, laudem cuius canit orbis,
fol. 135v Se quia subdiderat morti pro nomine Christi.

At regis nostri venientes denique missi
Ad fratrem domnae iam tunc residentis in arce
100 Illi nudabant, quaecumque secreta ferebant.
Quae sibi percerte comperta satis placuere
Moxque suae dulci narrabat voce sorori
Exortans illam regi parere fideli,
Illam qui propriae proli voluit sociari.
105 Cumque suę monitis menti instillaret amicis
Oddonis dulcem, pueri regalis, amorem,
Colligit innumeras summo conamine gazas.
Ast ubi collecti visum fuerat satis ipsi,
Prędictam sociis domnam comitantibus aptis
110 Trans mare percerte summo direxit honore
Condonans illi gazas nimium preciosas;
Necnon germanam secum transmisit Adivam,
Quę fuit ętatis meriti pariterque minoris:
Quo sic maiorem prorsus conferret honorem
115 Oddoni, nato famosi regis amando,
Egregiae binas stirpis mittendo puellas,
Ut sibi, quam vellet, sponsam licito sociaret.

95 stirpe *corr. ex* stirbe *M.* **104** proprie *M.* **107** Collegit *M.*
116 Egregie *M.*

Aspectu primo sed mox Eadit veneranda
Iure placens cunctis habitu summe bonitatis
120 Regali nato censetur congrue digna.
fol. 136r Haec illi dulcem peperit clarissima prolem
Nomine Liudulfum tantis genitoribus aptum,
Quem populus merito dilexit amore tenello
Exoptans prolongari vitam satis ipsi.

125 Istis sic habitis instabat denique finis
Henrici regis; cuius mortem gemit omnis
Illius imperio populus iurique subactus.
Quo nam defuncto regnum susceperat ODDO,
Eiusdem primogenitus regis venerandus;
130 Et voto cuncti iam respondente popelli
Unguitur in regem Christo prestante potentem.
Cui rex gratiolę cęli munuscula tantę
Contulit, ut digne cunctis celeberrimus ipse
Gestorum reges fama precelleret omnes,
135 Oceanus refluis quos nam circumfluit undis.
Insuper e tantis ipsum sacra dextra potentis
Protegit insidiis occulta fraude paratis
Et tam magnificis ornat persepe triumphis,
Ut credas regem David regnare fidelem
140 Iam nunc antiquis fulgentem rite triumphis;
Nec solum gentes frenis moderat bonitatis,
Quę prius imperio patris dederant sua colla,
Sed multo plures certe sibi vindicat ipse
Subdens gentiles Christi servis nationes,
fol. 136v 145 Quo pax ęcclesię fieret stabilita sacratae.

119 habitus *M.* **125** Histis *(init. litt.) M.* **128** ODDO] *litt. maiusculis hoc uno loco M.* **135** Oceanus *corr. ex* Ocennus *M.* iam *M.* **145** fieret *corr. ex* fiere *Celt. in M.* sacrate *M.*

Ad bellum certe quoties processerat ipse,
Non fuerat populus quamvis virtute superbus,
Ledere qui posset vel exsuperare valeret
Ipsum celestis fultum solamine regis;
150 Eius nec cessit telis exercitus ullis,
Ni sua spernendo forsan regalia iussa
Illic pugnaret, quo rex idem prohiberet.

At dux Henricus, frater regis venerandus,
Princeps in regno fuerat tunc nempe quieto
155 Post regem plebi merito venerabilis omni.
Qui sibi condigne legali iunxit amore
Arnulfi natam, ducis egregii, generosam
Nomine Iudittam, vultus splendore coruscam,
Ac fulgore magis cunctę nitidam bonitatis.
160 His ita digestis fuerat pax undique nostris
Ad tempus modicum libitoque minus populorum
Bellorum certe sevo clangore tacente.

O quam tranquillum ridens deduceret ęvum
Fortunata satis nostre res publica gentis,
165 Quę nimis imperio regis regitur sapientis,
Si non antiqui mala calliditas inimici
Turbaret nostrum secreta fraude serenum!
Denique devictis aligenorum bene telis
fol. 137r Exoritur nostris subito discordia fortis,
170 Leserat et plebem bellum civile fidelem
Plus quam bellorum structura frequens variorum.
Huius causa mali fuerat non parva dolendi
Denique conflictus quorundam non moderatus,
Ex quibus Henrico quedam pars mente benigna

146 quotiēs *(compendium man. post.) M.* **147** fuit *M.*

175 Devovit regis fratri ius vernulitatis,
Pars Evurhardo comiti studium famulandi.
At cum quisque sui peteret solamina domni,
Hinc gravior dominis discordia nascitur ipsis.
Tandem percerte conflictu progrediente
180 Predictus preses male collectas legiones
Mox ad castellum Baduliki capiendum
Ex inproviso mittens sub nocte nigella
Duxit captivum fratrem regis generosum
Henricum vinclis palmas stringendo cruentis
185 Eius candidolas ornamentis magis aptas;
Atque suas gazas disperdens innumerosas
Ad sua mox prolem secum deduxit herilem,
Utitur ut socio proprii domini quoque nato.
Quo rex comperto maerens sub corde secreto
190 Deflevit tristis nimium miserabile factum;
Vix quoque germani damnum paciens grave cari
Nobile mox Abrahę factum sequitur patriarchę,
fol. 137v Quod miserans egit, dum Loth ex hoste redemit;
Militibusque suis summo conamine lectis
195 Necnon inmodica tota de gente caterva
Pompa regali pergit solamina fratri
Ferre sub ingenti cordis languore dolentis.
Nec mora, quem venit fratrem refovere, redemit
Auctores tanti condempnavitque piacli
200 Suspendens quosdam ligno reprobis reparato,
Quosdam de patria mandans discedere cara.

His bene dispositis regis iussu sapientis
Protulit antiqui rursum mala fraus inimici

175 regi fratris *M.* **186** innumerosos *M.* **188** socio] *ita M, an legendum* servo? **189** merens *M.* **197** dolentis] dolore *M.*

Inventum sceleris primo mage deterioris,
205 Cunctis horrendum saeclis meritoque stupendum.
Denique predictus postquam rediens Evurhardus
Preses ab exilio patriam remeabat amandam
Hoc sibi graciola regis prestante benigna
Gislberhto comiti vinclis sociatus amoris
210 Consilium dederat, (quod non tibi, Christe, placebat),
Ut caperent iustum regem, domini benedictum,
Et quod plus: iusto non iustam vim faciendo
Illum mox proprio deprivarent male regno.
Hoc quoque consilium perversa mente repertum
215 Henrico regis fratri suasere fidelis
Mulcentes nimium verbis ipsum male blandis,
fol. 138ʳ Quo prius illatum nollet iam reddere damnum,
Ipsorum votis sed plus parendo nefandis
Susciperet regnum depulso fratre regendum.
220 Qui male blanditis tandem victus suadelis
(Pro dolor) ipsorum se promisit fore promptum
Votis ac firmis hoc confirmaverat orsis;
Sed spero certe non se sic corde tenere,
Illis consensum sed vi prebere coactum.
225 Qui male namque spei vacuae solamine capti
Sperabant regem populos olim dominantem
Ipsorum fragili citius subiungere iuri.
Sed rex de cęlis, iudex aequissimus orbis,
Cunctorum solus qui cognoscit cogitatus
230 Vanaque mortalis potis est disperdere cordis,
Commentum tanti sceleris virtute potentis
Dextrę confregit, qua cuncta creata creavit:
Scilicet insidias christo domini reparatas

204 deteriores *M.* **205** saeclis] sedis *M.* **207** remebat *M.* **215** fideles *M.* **225** uacue *M.* **230** Vanaque] Eua namque *M.*

Vertit in auctores tanti meritoque piacli;
235 Quique suo laqueos domino tendere malignos,
Ex ipsis ipsi primum sunt illaqueati.

Non me plus licito tantę sophię fore iacto,
Ut sperem plene verbis edicere posse,
Quanta graciole Christus virtute supernę
240 Sepius hunc ipsum regem digne benedictum
fol. 138v Fecit multiplices salvum percurrere fraudes
Necnon insidias hostili parte paratas;
Sed nec hoc fragilis fas esse reor mulieris
Inter cenobii positę secreta quieti,
245 Ut bellum dictet, quod nec cognoscere debet.
246 Haec perfectorum sunt conservanda virorum
249 Sudori, quis posse dedit sapientia mentis
250 Omnia compositis sapienter dicere verbis.
248 Hoc dico solum (recte quod dicere possum):
247 Principium qui cunctarum finis quoque rerum,
251 Qui solus semper fecit miranda potenter
Quique David regem toties de fraude fidelem
Eripiens Sauli sceptrum regni dedit ipsi,
Hunc pariter regem David pietate sequentem
255 Protexit de millenis persepe periclis.
Denique, cum solus prepauco milite septus
Esset ab adversis circumdatus undique turmis,
Insuper atque fugam propriae partis male factam
Pectore maerenti ferret nimiumque dolenti
260 Credere nec paucis sese presumeret ipsis,
Illum qui reliquis non deseruere relapsis,
Saepe ratus tantum se mox graviter moriturum:

237 forte *M.* 247 quod cunctorum *M.* regum *M.* 249 mentis] *ita M,* patris *coni. v. Winterf.* 252 totiēs *(compendium man. post.) M.* 258 proprie *M.* 259 merenti *M.* 262 Saepe] Sed *M.*

Otius auxilii fultus virtute superni
Miratur turbę se iam superare cruente
fol. 139ʳ 265 Tantas absque suę fraudes discrimine vitę.
At si forte suos pugna crescente sinistra
Audivit socios lętali vulnere lęsos,
Predicti regis lacrimans mox utitur orsis,
Quę maerens dixit, tristi cum pectore sensit
270 Ictibus angelici populum gladii periturum:
'En, qui peccavi, dixit, facinusque peregi;
Hinc ego vindictę dignus sum denique tantę!
Hi quid fecerunt, damnum qui tale tulerunt?
Iam nunc, Christe, tuis parcens miserere redemptis,
275 Ne premat insontes iusto plus vis inimica!'
Has igitur preculas miserans divina potestas
Parcebat regis solita pietate ministris
Et dedit optatum miserans ex hoste triumphum
Iusto praedictos comites examine perdens.

280 Ipso namque die, quo decepti vacua spe
Speravere suis constringendum fore vinclis
Regem, qui merito tenuit regalia sceptra,
Ex inproviso preses proruperat Udo
Adducendo quidem multam secum legionem
285 Ac subiit validum forti luctamine bellum;
Nec mora, percussus periit gladiis Evurhardus,
Gislberhtus sevis fugiens quoque mergitur undis.
At rex interea nescit tam fortia bella
fol. 139ᵛ Averso quidni residens in litore Reni,
290 Nec tunc auxilii scivit solamina tanti
Iam miserante deo subito casu sibi missa.
Denique dum pugnę sensit discrimina tantę
Haut gaudens inimicorum de morte suorum,

264 eruente *M.* **267** socios *corr. ex* socius *M.* **269** merens *M.* **280** *Sine init. litt. M.*

Sed plus tantorum maerens de caede virorum
295 Sumpsit non modicum Davidis more lamentum,
Qui super occisum doluit regem pie Saulum.

Ast ubi victores laeti venere videntes
Illius fusis vultum lacrimis madefactum,
Haut aptum tanto luctum dixere triumpho,
300 Sed reddi grates regi debere perenni,
Qui tunc impleri fecit pietate fideli,
Quod patet in libro regis scriptum Salomonis
Dicentis iustum de tristicia liberandum
Necnon iniustum pro iusto mox fore dandum.
305 His mentem regis demulcendo suadelis
Ipsum tristiciam cogunt deponere tantam
Et bene victrici congaudentem legioni
Se post bella suis blandum prebere ministris.
Qui nam leticiam vultu monstrans moderatam,
310 Sed clam subtristem servans in corde dolorem
Reddebat grates imo de pectore Christo,
Non dederat propriis ipsum quia tunc inimicis
fol. 140r Predam, sed dextra protegit rite superna;
Ipsius titulum tanti clarumque triumphi
315 Non sibi, sed Christi designavit pietati.

His ita digestis modicum tempus requievit
Civilis belli populus luctamine lassus.
Sed nec sic veteris finem sumpsit dolus hostis,
Qui semper fragiles temptat pervertere mentes
320 Post factum facinus suadens superaddere peius.
Fertur percerte quorundam pectora bile

294 merens *M.* cede *M.* **295** more] mere *mut. in* merore *Celt. in M.* **297** leti *M.* **301** impleri *corr. ex* implere *M.* **315** pietate *M.*

Tanto pestiferi tandem penetrare veneni,
Ut mortem regi vellent inferre fideli
Ipsius et fratrem populo preponere regem;
325 Nec timuere diem paschę sanctum maculare,
Si posset fieri, fuso cum sanguine iusti.
Sed non consensit tanti commissa piacli
Agnus paschalis, qui pro nobis redimendis
Se dedit electum patri moriens holocaustum:
330 Sed mox consilium cunctis nudavit eorum,
Et sic insontis salvatus erat bene sanguis;
Quique rei placiti sunt inventi scelerosi,
Pro modulo culpe poenis damnantur amaris:
Quidam iudicio quidni dantur capitali,
335 Quidam de patria longe pelluntur amanda.

Post haec Henricus, frater regis generosus,
fol. 140v Christi gratiola tactus sub corde secreto
Secum tractavit summoque dolore revolvit,
Contra iusticiam quicquid perfecerat unquam.
340 Hoc quoque deflevit nimiis persepe lamentis,
Quod male blanditis horum cessit suadelis,
Ipsum qui verbis corruperunt simulatis.
Sed quamvis talem ferret sub corde dolorem,
Presentare tamen spacii per tempora longi
345 Non se regali presumebat faciei;
Absens sed cordis studio florente dolentis
Optabat venię dari munus sibi dulce.
Tandem percerte forti devictus amore
Ilico poenalem proicit de corde timorem
350 Et sub nocturnis nimium secreto tenebris
Adveniens in regalem se contulit urbem,

333 penis *M.* **349** pęnalem *M.*

In qua natalem regis celebrare perennis
Rex pius obsequiis coepit sollempniter aptis.
Depositisque suis ornamentis preciosis
355 Simplicis et tenuis fruitur velamine vestis
Inter sacratos noctis venerabilis hymnos
Intrans nudatis templi sacra limina plantis;
Nec horret hiemis sevum frigus furientis,
Sed prono sacram vultu prostratus ad aram
360 Corpus frigoreę sociavit nobile terrę
fol. 141r Sic sic maerentis toto conamine cordis
Optans prestari venię munus sibi dulce.
Quo rex comperto victus pietate benigna
Instantisque memor festi cunctis venerandi,
365 In quo cęlicole pacem mundo cecinere,
Lęti rege suo tenera de virgine nato,
Ut pie salvaret mundum merito periturum,
Pro diei tantę pacem portantis honore
Condoluit miserans fratri commissa fatenti
370 Atque suam pie graciolam concessit habendam
Illi cum venię dilecto munere plenę;
Necnon post aliquot spatii tempuscula parvi
Ipsius iuri proceres subiunxerat omnes
Famosę nimium gentis Baioariorum
375 Ipsum nempe ducem merito faciendo potentem:
Et post hęc ultra fuerat discordia nulla
Inter eos animis fraterno fędere iunctis.

Avaresque per hunc sevi sepissime victi
Post hęc Ottonis regnum regis spatiosum
380 Non ledunt telis consueto more cruentis

353 cepit *M.* **356** Iter *M.* **361** merentis *M.* **362** Exoptans *M.* dulce] du// *M.* **367** periturам *M.* **378** Auaresque *minio corr. ex* Auarosque *(sine init. litt.) M.*

Tangere nec contingentes audent nationes
Ex terrore ducis tanti nimium tremefacti,
Hic quia prudentis functus valitudine mentis
His hominum monstris bellis obstans iteratis
fol. 141v 385 Ad nos pergendi calles secluserat omnes.
Insuper et primus Christi munimine tutus
Audenter cum subiectę plebis legione
Eiusdem populi patriam petiit scelerosi
Inpugnans gentem cunctis retro namque rebellem;
390 Scilicet et spoliis rerum captis variarum,
Quas sibi communes collegerunt prius hostes
Orbis perplures devastantes regiones,
Uxores procerum soboles rapuit quoque dulces:
Et sic prostratis rediit gaudens inimicis.

395 Istis sic habitis properata diecula tristis
Venerat ingentem nostris augendo dolorem,
In qua prefulgens meritis regina supremis
Aedit presentis vitę discessit ab horis
Ipsius imperio genti faciens famulanti
400 Tristiciam necnon nimium cordis cruciatum
Eius in abscessu; magno quam denique luctu
Et non inmerito flevit plebecula cuncta,
Quam plus maternę fovit pietatis amore,
Quam dominatricis iussis confringeret artis.
405 Cui licet a Christo requiem sine fine perennem
Necnon lęticiam iustis retro reparatam
Prestari citius iam non dubitaverit ullus,
Qui meritum vitę scivit laudabile castę
fol. 142r Ipsius ac mitem, gessit quam denique, mentem:

386 munimine] nomine *M.* **395** *Sine init. litt. M.* **401** ab-cessu *M.*

410 Attamen humanę pro consuetudine causę
Non mirum, populus planctum si sumpsit amarum,
Dum sibi tam subito fuerat spes tanta retracta
Et facies domnę nimium regalis amandę,
Necnon subiecti prefulgens gloria regni
415 Mandatur terrę gremio servanda sub amplo,
Donec assurgat non corruptumque resumat,
Quod nunc includit tumulus, prenobile corpus.

Haec igitur puerum supra paucis memoratum
Acriter orbatum dimittebat Liudulfum
420 Feminei dulcem sexus unam quoque prolem,
Nomine Liudgardam, summa bonitate coruscam,
Moribus et facie similem matri venerandę.
In quas percerte soboles mox stirpis amandę
Affectu cordis populus deducitur omnis
425 Magno pro meritis summis utriusque parentis.
Sed magis, ac iuste, dulci fervebat amore
Erga regalem puerum dominum Liudulfum
Ipsum spe mentis tota complexus amantis.
Hicque sibi naturales imitans bene mores
430 Extiterat cunctis blandus dulcedine mentis,
Mansuetus, clemens, humilis nimiumque fidelis;
Hinc quoque graciolam Christo prestante benigno
fol. 142v Tantam promeruit meritam digneque recepit
Gentibus in cunctis patris imperio religatis,
435 Ut, quicumque suę saltim prepaucula famę
Verbula conciperet latebris propensius auris,
Ipsius in dulcem totus raperetur amorem
Absentem venerans animis dominum studiosis.
Quem pater egregius, rex et senior venerandus,

424 populi *M.* **427** dominum] *ita M.*

440 Dilectę matris mortem graviter pacientem
Affectu patrio necnon pietate benigna
Digno percerte iam sublimavit honore
Subiecti faciens regni digne dominari.
Necnon Liudgardam simili causa venerandam,
445 Unica feminei quę spes sexus fuit illi,
Graciola parili coluit, provexit, amavit.
Hanc quoque Conrado vinclis sociavit amoris,
Egregio strenuoque duci nimium quoque forti,
Munere qui talis dignus constabat honoris.
450 Utque suo subdi nato faceret Liudulfo
Multum devotae perfecto mentis amore
Francorum gentis dominos pręnobilis almos
Necnon primates Suevorum scilicet omnes,
Ipsi legali prepulchram foedere iungi
455 Idam iussit, Herimanni natam ducis almi,
Qui fuit illustris princeps in partibus illis.
fol. 143r Hęc quoque regalis fuerat consortia prolis
Pro meritis proprię probitatis digna subire
Ac vice reginę summo veneratur honore
460 Rege iubente quidem per consuetam pietatem;
Illam nec habitare locis voluit segregatis
Rex idem nati digne succensus amore,
Sed ceu reginam regnum transire per amplum,
Quo sic dilectus sentiret filius eius
465 Dulcia graciolę semper munuscula magnę
Ipsi cum sponsa regni sociatus in aula.

Interea rex Italicus gravido Hlotharius
Infectus morbo mundo discessit ab isto

442 Signo *M.* **450** subclinato *M.* **451** deuote *M.* **462** succensus] *litt.* succens *in ras. M.* **465** Dultia *M.*

Italię regnum linquens merito retinendum
470 Summę reginę, sibi quam sociavit amore.
Regis Rothulfi fuerat quę filia magni
Edita magnorum longo de stemmate regum;
Cui nomen clarum dictavit summa parentum
Nobilitas illam digne vocitans Aethelheitham.
475 Hęc quoque regalis formę preclara decore
Atque suę causis personę sedula dignis
Factis regali respondit nobilitati:
Scilicet ingenio fuerat prelucida tanto,
Ut posset regnum digne rexisse relictum,
480 Si gens ipsa dolum mox non dictaret amarum.
fol. 143v Denique defuncto, quem predixi, Hluthario
Pars quędam plebis fuerat, quę retro rebellis
Menteque perversa propriis dominis inimica
Restituit Beringarii regnum ditioni,
485 Quod patre defuncto raptum violenter ab illo,
Olim per † manus regis devenit Hugonis.
Optato certe qui sublimatus honore
Detegit, invidię quicquid sub pectore tristi
Gessit, dum regni deflevit damna paterni;
490 Felleque plus iusto cordis succensus amaro
Fudit in insontem concretum quippe furorem
Iniustam vim reginę faciens Aethelheithę,
Quę regnans illi damnum non fecerat ullum.
Nec solum celsę solium sibi proripit aulę,
495 Sed simul erarii claustris eius reseratis
Omne, quod invenit, dextra tollebat avara,
Aurum cum gemmis varii generis quoque gazis
Necnon regalis sertum prenobile frontis,

475 decorę *M.* **486** manus regis *sign. invert. M.* devenit] defleuit *eras. (cf. v. 489) M,* deflevit *teste v. Winterf. p.*

Ornatus nec particulam dimiserat ullam;
500 Nec timuit propriis illam spoliare ministris
Obsequiis quoque personis regalibus aptis
Regalique potentatu (miserabile dictu);
Postremo quoque pergendi pariterque manendi,
505 Quo vellet, libertatem male denegat omnem
fol. 144r Solam cum sola committens namque puella
Servandam cuidam comiti sua iussa sequenti.
Qui iussis captus regis non iusta iubentis
Non metuit propriam culpę sine crimine domnam
Clausam carcereis claustris servare cubilis
510 Circumdiffusis custodum denique turmis,
Ut mos personas est servari scelerosas.
Sed, qui de vinclis Petrum tollebat Herodis,
Hanc, quando voluit, miti pietate redemit.

Certe dum variis animo foret anxia curis,
515 Nullaque spes sibimet certi solaminis esset,
Presul Adhelhardus factum deflens miserandum
Vixque suę damnum carę paciens grave domnę
Illi transmisit missum mox namque secretum,
Utque fugam caperet, monitis suasit studiosis,
520 Ac peteret muris urbem structam bene firmis,
Quę caput ipsius constabat pontificatus;
Hic loca presidii mandans tutissima certi
Illi, condignum quoque preberi famulatum.
His nam regales monitis pulsantibus aures
525 Inclita de mandatelis regina benignis
Lętior exoptat vinclis absolvier artis;
Quid faceret, tamen ignorat, quia nulla patebat

509 carcereis] *ita M,* carcerei *coni. v. Winterf. (add.), Str.*
518 moxqnamq · *M.*

Ianua, quę somno pressis custodibus alto
fol. 144v Illam nocturnis pateretur abire sub horis.
530 Sed nec personam causa famulaminis ullam
Subiectam sibi carcereis possedit in antris,
Ipsius implendis esset quę sedula iussis,
Ni supradictam solummodo namque puellam
Necnon presbiterum vitę laudabilis unum.
535 His ubi continuis narraret cuncta lamentis,
Quę maerens animo multum volvebat amaro,
Voti communis placito visum fuit illis
Res melius verti, studio si forte latenti
Sub terra foveam facerent fodiendo secretam,
540 Per quam de vinclis possent evadere duris.
Hęc ita percerte constant completa fuisse
Ocius auxilio Christi presente benigni.
Nam caute fovea iuxta placitum reparata
Advenit libertati nox apta recenti,
545 In qua, dum somnus plebis perserperet artus,
Tantum cum sociis regina piissima binis
Custodum fraudes fugiens evaserat omnes
Atque vię spatium noctis sub tempore tantum
Pertransit, plantis quantum valet ergo tenellis.
550 Sed mox ut scissis cessit nox furva tenebris
Atque polus radiis coepit pallescere solis,
Abscondens in secretis se cautius antris
fol. 145r Nunc vagat in silvis, latitat nunc denique sulcis
Inter maturas Cereris crescentis aristas;
555 Donec nox solitis rediens induta tenebris

529 sub *corr. ex* ab *man. post. M.* **530** famulaminis *mut. in* famulatibus *Celt. in M.* **536** merens *M.* uolebat *partim in ras. M.* **545** proserperet *M.* **546** binis *corr. ex* bonis *M.* **554** maturos *M.*

Obtegit rursum nebulo terram tenebroso:
Tunc iterato viam studuit percurrere coeptam.

Denique custodes illam non invenientes
Narrabant factum comiti nimium tremefacti,
560 Cura cui conservandę fuit indita domnę.
Qui terrore gravis percussus corde timoris
Pergit cum sotiis illam perquirere multis;
Et cum deficeret nec iam dinoscere posset,
Quo regina suum tulerit clarissima gressum,
565 Detulit ad regem Beringarium timidus rem.
Hic quoque continuo nimiam conversus in iram
Circumquaque suos subito mittebat alumnos
Precipiens illos nullum transire locellum,
Sed caute cunctas iam perlustrare latebras,
570 Si forsan latebris regina lateret in ullis.
Ipseque cum fortis sequitur turba legionis,
Ceu qui vult hostes bello superare feroces,
Et rapido segetem cursu peragravit eandem,
In cuius sulcis latuit tunc domna recurvis
575 Hęc, quam querebat, Cereris contecta sub alis;
Sed, licet huc illucque locum percurreret ipsum,
fol. 145v In quo non parvo iacuit terrore gravata,
Et quamvis circumpositos disiungere culmos
Nisibus extenta cunctis temptaverit hasta,
580 Non tamen invenit, Christi quam gratia texit.
Ast ubi confusus rediit nimium quoque lassus,
Presul Adelhardus mox advenit venerandus
Induxitque suam gaudenti pectore domnam
Intra namque suę muros urbis bene firmos;
585 Hicque sibi digne toto servivit honore,

557 ceptam *M.* 559 nimium] nuntium *mut. in* multum *Celt. in M.* 585 digne *corr. ex* digno *M.*

Donec maiorem Christo miserante decorem
Regni suscepit, pridem quam mesta reliquit.

Denique nostrates quidam tunc experientes
Reginam domino desolatam fore caro,
590 Cuius praedulcem gustaverunt pietatem,
Quando per Italiam coeperunt pergere Romam,
Eius multiplicem recitati sunt pietatem
Crebrius Ottoni, magno tunc denique regi,
Augusto sed Romani nunc denique regni,
595 Nullam dicentes aliam consistere dignam
Tecta sub ipsius thalami regalia duci
Post obitum domnę flendum cunctis Eadithę.
Et rex lętatus tantę dulcedine famę
Pectore volvebat tacito per tempora longa,
600 Quo pacto sibi reginam coniungeret istam,
fol. 146r Quę fuit insidiis regis circumdata tantis;
Venit et in mentem predictum denique regem,
Qui quondam patriis fuerat depulsus ab arvis
Eius et auxilio citius miserante reductus,
605 Ingratum fore nunc donis tantę pietatis.
Hinc quoque mox aditum sibimet providerat aptum
Ipsius Italicum iuri subiungere regnum.
Hoc ubi colloquio sensit narrante paterno,
Patris amor verus, spes et gentis, Liudulfus
610 Non sua sollicitans, patris sed commoda tractans
Prępaucis secum sotiis secreto resumptis
Italiam petiit fortique manu penetravit
Exortans patris imperio populum dare colla;
Moxque redit clarum referens sine Marte triumphum.

590 praedulcem] pręd *in ras. M.* **591** ceperunt *M.* **607** Italicum] itali *in ras. M.* **613** collum *M.*

615 Quo rex comperto populis narrantibus Otto
Corde super natum lęto plaudebat amandum,
Ipsius causa qui nam discrimina tanta
Audacter subiit gentem turbando ferocem.
Utque labor talis non frustraretur amoris,
620 Ipse quidem gentem festinus adivit eandem
Plebis non parva proprię comitante caterva;
Regalis pompę vario comptusque decore
Alpibus accinctas altis intraverat horas.

His Beringarius compertis obstupefactus
fol.146v 625 Non bellum movit, regi non obvius exit,
Sed se salvandum castello protinus apto
Intulit in tutis posito firmisque locellis.
At rex famosus noster, virtute superbus,
Audacter satis ignotas pertransiit horas,
630 Italici Papiam regni cepit quoque domnam.
Qua certe capta cuncti velut agmine facto
Querentes regem proceres venere recentem
Certabantque suo iuri se subdere magno.
Quos nam more suo suscepit mente benigna
635 Promittens ipsis eius munus pietatis,
Si post hęc illi servirent mente fideli.

Istis sic habitis crebro tractamine cordis
Reginę satis egregię memor est Aedelheithę
Regalem certe cupiens quandoque videre
640 Ipsius faciem, cuius didicit bonitatem.
Unde quidem mandatelis secretius actis,

617 nam – tanta] iam discrimina (*mut. in* discriminæ) tanto *M.* **621** parua *corr. ex* paruę *M.* **622** decorę *M.* **624** *Sine init. litt. M.* **630** coepit *M.* dominam *M.* **637** *Sine init. litt. M.* **641** mandatelis] t *in ras. M.*

Quę fuerant pacis necnon prędulcis amoris,
Sub signo fidei firmę mandaverat illi,
Hoc quoque suadelis exhortabatur amicis,
645 Ut celeri Papiam cursu peteret, populosam
Urbem, quam cum tristicia dimisit amara,
Quo praestante sacra regis pietate perennis
Hic modo sublimem gaudens captaret honorem,
fol. 147r Quo prius ingentem fuerat perpessa dolorem.
650 His mandatelis cessit regina benignis
Et, quo iussa fuit, pariter comitantibus ivit
Permultis subiectorum cuneis populorum.
Ut rex hoc sensit, cuius mandamine venit,
Ipsius Henricum fratrem precepit amandum
655 Huius in occursum regredi trans litora Padi.
Ut sublimandam regni splendoribus heram
Tanti compositus ducis ornaret famulatus.
Qui studio mentis precepta sequens senioris
Egreditur certe cum regali legione
660 Castraque reginę gaudens petiit venerandę,
In quis cum sociis residebat denique multis
Illam condigne summo comitatus honore,
Donec regali presentaret faciei.
Quę merito regi statim placuit satis ipsi
665 Eligiturque sui consors dignissima regni.

Tunc rex se novitate rei cernens retineri,
Tempore ne patrias instante rediret ad oras,
Liudulfum placuit carum pręmittere natum,
Ut gens Saxonum fortis volitaret ad illum
670 Et regnum sub patrono staret bene tanto.

653 hos *M.* **656** ęram *M.* **657** ducis compositus *sign. invert. M.* **666** *Sine init. litt. M.*

Qui parens iussis devota mente parentis
Ad patriam rediit curam regnique recepit
Omnia prudenter necnon nimium sapienter
Complens, in patria quę tunc fuerant facienda.
fol. 147v 675 Interea dux Henricus, regis venerandus
Frater, in Italia cordis conamine summo
Obsequiis operam gessit regalibus aptam,
Offitium non germani solummodo cari,
Sed mage ius servi studio complendo benigno.
680 Hinc non inmerito regi placuit satis ipsi,
Est quoque reginę fraterno iunctus amore
Affectuque pio fuerat dilectus ab illa.
Tunc rex Italicum peragraverat undique regnum
Primates regni proprię subdens ditioni.
685 His quoque completis iuxta votumque locatis,
Ne Beringarius regnum raperet sibi rursum,
Conradum cum non paucis ex agmine lectis
In Papia residere ducem iussit sapientem,
Cui veneranda suę dederat consortia natę;
690 Ipseque continuo rediit cum coniuge clara
Intendens patrię sedem festinus adire.
Quem gavisa quidem plebs suscepit venientem
Altithrono grates spargens super aethera dulces,
Qui miserando suę plebis solita pietate,
695 Quem pius elegit, regem cum pace reduxit.

Hac ita lęticia dignis rebus celebrata
Advenit dux Conradus cum pace reversus
Adducens Beringarium supra memoratum

674 Complens – regis *in ras. M.* **679** benigni *M.* **680** regi placuit *partim in ras. M.* **686** rursum *corr. ex* rorsum *(?) M.* **696** *Sine init. litt. M.*

Ipsius ingenii captum sic arte profundi,
700 Gratis ut Ottoni venit se subdere regi.
fol. 148r Tunc idem rex, qui semper fecit sapienter,
Hunc regem certe digno suscepit honore,
Restituens illi sublati culmina regni –
Ista percerte tantum sub conditione,
705 Ut post hęc causis non contradiceret ullis
Ipsius imperio multis longe metuendo,
Sed ceu subiectus iussis esset studiosus;
Hoc quoque sollicitis decrevit maxime dictis,
Ut post hęc populum regeret clementius ipsum,
710 Quem prius imperio nimium corrupit amaro.
Qui se complendis simulans promptum fore iussis
Ocius abscessit patriam lętusque petivit.
Ast ubi sublimem regni possederat arcem,
Lęsus suadelis quorundam namque sinistris
715 Mox infelici graviora quidem iuga genti
Infert vi magna pro despectu sibi facto
Se regnum pretio contestans emere magno
Nec fore culpandum, si ius fregisset avorum,
Sed magis Ottoni culpę meritum reputari,
720 Ipsi primates plebis qui venderet omnes.
Hęc res ad regem mox ut pervenit eundem,
In Beringarium iusta succenditur ira
Corde super populi damnis maerens miserandi
In meliusque statum studuit convertere rerum.

706 mutuendo *M.* **707** studiosis *M.* **709** Vti *M.* **710** corripuit *mut. in* contriuit *Celt. in M. An coniciendum* correpsit *(quae forma legitur apud auctores illius aevi, cf. Mlt. Wörterbuch s. v.)?* **716** facta *M.* **721** Hęc] H *in ras. M.* **723** merens *M.* **724** statuit studium *(sign. invert. man. post.) M.*

725 Et faceret citius Christi munimine fultus,
Si non fortunę restaret causa sinistrę.
fol. 148v Namque decore sui florente per omnia regni,
Cum se gauderet cunctis fulgere secundis,
Protulit antiqui renovata lues inimici
730 Fraudis commentum cunctis per saecla dolendum
Iam tunc pacificum temptans confundere regnum;
Hoc ut quantocius posset patrare malignus,
Regni rectores primum turbaverat omnes
Sperans interitum plebis mox esse futurum.

735 Denique famosi natus regis Liudulfus,
Ut cognovit amicicie signis satis aptis,
Quanto perfectae fidei dilexit amore
Henricum regis fratrem regina fidelis,
Quodque suę fidei studio se subdidit omni,
740 Tangitur interni iaculis secreto doloris
Haud ira fervens, odii nec felle tabescens,
Sed super amisso care genitricis amore
Ex egri latebris ducens suspiria cordis;
Deceptusque malis permultorum suadelis
745 Pertimuit fragilis pro consuetudine mentis,
Quod post non uti donis deberet honoris
Condigni, sed forte locum subire secundum.
(Quod fieri Christus numquam permitteret aequus,
Si staret regnum iusta sub pace quietum.)
750 Ast ubi subtristi vultu sepissime patri
Monstratur mestus solito nec more serenus,

727 decorę *M.* **730** seda dolentum *M.* **737** perfecte *M.* **741** Haud *mut. ex* Haut *M.* **748** equus *M.*

752 Sunt qui decepti serpentis fraude dolosi

. . . .

. . . .

fol. 49r 1137 (1141) Sed quo regalem patris hinc augeret honorem.
His rex compertis ex prosperitate fidelis
Letatus prolis tota dulcedine mentis
1140 (1144) Hec illi mandat scriptis extimplo remissis:
'In saeclum saecli maneat laus omnipotenti,
Qui dedit in tantis temet gaudere secundis,
Grates atque tibi dentur, karissime fili,
Quem constare quidem penitus cognosco fidelem,
1145 (1149) Haut obscura tuę fidei quia signa dedisti,
Cum per te regnum cupiens augescere nostrum
Signasti nobis proprii decus omne laboris.
Hinc ego gratanter, quę fecisti sapienter,
Accipiens vice conversa condigna rependo
1150 (1154) Hoc ipsumque tibi regnum committo regendum,
Imperio subdi nostro quod constituisti;
Precipioque tibi iussis, dilecte, paternis,
Ut, quem victrici populum dextra superasti,
Absque mora tecum facias firmare tenendum
1155 (1159) Fedus cum iuramento structum metuendo.'
Haec dux Liudulfus decreta legens venerandus
Letior ex mandatelis tantę pietatis
Iussus cum iuramento religat sibi firmo
Ad patris obsequium populum digne moderandum.

752 *Post fol. 148 quaternio evulsus est, qui sexies decies 24 – id est 384 – versus continens carmen usque ad v. 1136 produxisse videtur. Alio calculo v. Winterf. et Str. usi irregularem numerum versuum praecedentis quaternionis (388 v.) numero regulari praetulerunt.* **1141 (1145)** seculum scli *M.* **1143 (1147)** adque *M.*

1160(1164) His bene dispositis summo cum fędere pacis
fol. 149v Ardens absentis faciem meruisse parentis,
Coniugis et karę dulci devictus amore
Ac prolis geminę longe pos terga relictę
Posthabitę fines patrię placuit repedare,
1165(1169) Quo post exilii pondus nimium grave duri
Posset quandoquidem patrie captare quietem.
Utque celer morulis hęc impleret sine cunctis,
Non iter optatum pondus tardaverit ullum,
Collectim proprias iussit premittere gazas
1170(1174) Ipsius et faciem turbam precedere totam,
Quam belli causa secum deduxerat illo,
Promittens ipsum vita comitante futurum
Ad fines patrię spacii post tempora parvi.
Hoc quoque melliflui verbis signaverat oris,
1175(1179) In quis castellis, in quis voluitque locellis
Sumptus hospicii dignos sibimet reparari.
Hac moti fama nostrates desiderata
Affectu cordis gaudebant interioris;
Omneque meroris pondus cunctique doloris,
1180(1184) Quod prius absentis causa tulerant senioris,
Ex animo deponentes communiter omnes
Causam leticię duxerunt esse supremę,
Si post paucorum meruissent ergo dierum
Cursus, promissi iuxta pręconia laeti

. . . .

. . . .

1178 (1182) interiores *M.* **1179 (1183)** Omne quę *M.* **1184 (1188)** loeti *M.* *Fol. 149/150 sunt extrema fasciculi tribus bifoliis interioribus evulsis. Quae tria bifolia duodecies 24 – id est 288 – versus continentia carmen usque ad v. 1472 produxisse videntur. Quo calculo v. Winterf. et Str. usi sint, qui 290 versus deficere coniecerunt, me prorsus latet in obscuro.*

*fol. 150^r^* 1473 (1479) Aeque ferens sceptrum capitis diademaque pulchrum
Atque sui cultus omnes regalis amictus.
1475 (1481) Ornatus sed maioris suscepit honoris
Augusto summo pariter mox conbenedicta.

Hactenus Oddonis famosi denique regis
Gesta, licet tenui Musa, cecini modulando.
Nunc scribenda quidem constant, quę fecerat idem
1480 (1486) Augustus solium retinens in vertice rerum.
Tangere quę vereor, quia femineo prohibebor
Sexu, nec vili debent sermone revolvi:
Qualiter invicti duro luctamine belli
Obtinuit constructa locis castella marinis,
1485 (1491) Quę Beringarius coniunx possedit et eius,
Ac illum iuramento cogente peracto
Misit in exilium misera cum coniuge Willa;
Qualiter et recti conpunctus acumine zeli
Summum pontificem quedam perversa patrantem
1490 (1496) Eius nec monitis dignantem cedere crebris
Sedis apostolicę fraudari fecit honore
Constituens alium rectoris nomine dignum;
Qualiter et regno tranquilla pace quieto
Nostrates adiens illic iterumque revertens
1495 (1501) Necnon amborum retinens decus imperiorum
Ipsius prolem post illum iam venientem,
*fol. 150^v^* Scilicet Oddonem, nutricis ab ubere regem,
Ad fasces augustalis provexit honoris
Exemploque sui digne fecit benedici;
1500 (1506) Haec igitur nostris nequeunt exponier orsis,
Sed querunt seriem longe sibi nobiliorem.

1474 (1480) regales *M.* **1475 (1481)** maioris *corr. ex* maiores *M.* **1476 (1482)** conbenedicta *corr. ex* conbenenedicta *M.* **1477 (1483)** Hctenus *(init. litt.) M.* **1485 (1491)** ęius *M.*

Hinc ego tantarum prohibente gravedine rerum
Ultra non tendo, finem sed provide pono,
Post hęc incepto ne succumbam male victa.

1505 (1511) **H**is ita finitis et summatim replicatis
Est ingens regis pietas oranda perennis,
Quo pius augustos prestet deducere nostros
Instantis vitę tempus feliciter omne
Et fultos semper cunctis ad vota secundis
1510 (1516) Ecclesię multos custodes servet in annos
Nobis solamen dantes clementius. Amen.

1502 (1508) ego *corr. ex* ergo *M.* **1505 (1511)** *Sine init. litt. M.*
1507 (1513) augustus *M.*

⟨PARS POSTERIOR⟩

PROOEMIUM

Ecce meae supplex humilis devotio mentis
Gliscit felicis primordia Gandeshemensis
Pandere coenobii, quod cura non pigritanti
Construxere duces Saxonum iure potentes,
5 Liudulfus magnus, clarus quoque filius eius
Oddo, qui coeptum perfecit opus memoratum.

PRIMORDIA COENOBII GANDESHEMENSIS

ORDO NUNC RERUM DEPOSCIT DEBITUS HARUM,
Ut prius illustris constructio Gandeshemensis
Apto coenobii recinatur carmine nostri.
Quod nam construxisse ducem reverenter eundem
5 Constat Saxonum, quem praedixi, Liudulfum.
Hic, praenobilium natus de stirpe parentum
Ortus atque sui respondens nobilitati
Moribus egregiis usuque suae probitatis,
Inter Saxones crevit laudabilis omnes;

tit.[1] Prohemium Carminis *H1,* Prooemium Carminis *H2.* 1 *Sine init. litt. H1, litt. maiore H2.* 3 pigritana *H1, H2.* 5 Luidulfus *H1 (ita semper; hoc loco corr.), H2 (ita fere semper).*

tit.[2] Hroswida *(*Roswida *H1)* Gandersemensis Canonissa *(*Abbatissa *H1!)* de Constructione Coenobii *(*cænobij *H1)* Gandersemensis *H1, H2.* 1 *Post litt. paulo maiore* O *minusculis pergunt H1, H2.* 7 atque] quique *H1, H2.*

10 Namque fuit strenuus, forma nimiumque decorus,
Prudens in verbis, in cunctis cautus agendis,
Atque sui generis solus spes et decus omnis.
Hinc nam Francorum magni regis Hludowici
Militiae primis ascriptus paene sub annis
15 Ex ipso digne summo sublatus honore
Gentis Saxonum mox suscepit comitatum;
Ac cito maioris donatus munere iuris
Principibus fit par, ducibus sed nec fuit impar,
Quique suos omnes vicit pietate parentes,
20 Non minus insignis pompa vincebat honoris.

Cui coniunx ergo fuerat praenobilis Oda
Edita Francorum clara de stirpe potentum,
Filia Billungi, cuiusdam principis almi,
Atque bonae famae generosae scilicet Aedae.
25 Haec igitur crebro precibus consueverat Aeda
Se totamque suam domino committere vitam
Saepius atque piis insistens sedula factis
Promeruit bene promissis edocta supernis
Discere Baptista Christi referente beato,
30 Quod sua progenies saeclis quandoque futuris
Possessura foret iuris decus imperialis.

Ergo nocturnas quondam scindente tenebras
Aurora lucis splendore suae rutilantis
Haec prostrata sacram solito iacuit secus aram
35 Sacratam sub Baptistae Iohannis honore
Oratu pulsando iugi penetralia caeli.
Cumque piam studiis mentem laxaret in illis,

14 primus *H1, H2.* ascriptus] *ita H1,* adscriptus *H2.* **18** par *deest H2.* **21** § *in marg. H1, sine dist. H2.* **31** Possessura] *ita H1,* Promissura *H2.* **32** § *in marg. H1, sine dist. H2.* **37** laxaret] *ita H1, H2.*

Vidit prona pedes hominis propius sibi stantis;
Ac commota parum volvebat pectore multum,
40 Quis foret ille, suum qui conturbare secretum
Praesumpsisset in hac hora precibus satis apta.
Fronteque de terra modicum conversa levato
Aspexit iuvenem miro splendore micantem,
Indutum vestis velamine flavicomantis,
45 Ceu foret e pilis curvi contexta cameli;
Cuius candori nimio pulchrae faciei
Barbula parva, nigris sociata colore capillis,
Quoddam splendentis praestabat stemma nitoris.
Quem matrona videns nec mortalem fore credens
50 Obstupuit mentis iuxta morem muliebris
Procumbens subito magno terrore coacta.
Ille sed affatu blando trepidam refovendo
Inquit: 'Ne trepides nec perturbata pavescas;
Sed cognosce gravis pulso terrore timoris,
55 Quis sim: magna tibi portans solamina veni.
Nam sum Iohannes, liquidis qui tinguere lymphis
Christum promerui. Quia nos crebro coluisti,
Nuntio, virginibus sacris tua clara propago
Instituet claustrum, pacem regnique triumphum,
60 Dum sua religio studio steterit bene firmo.
Hinc tua progenies saeclis quandoque futuris
Culmine pollentis tanto clarescet honoris,
Ut terrenorum nullus tunc tempore regum
Iure potentatus illi valeat similari.'
65 Dixerat et subito rediens penetraverat aethra
Linquens matronae solamen dulce benignae.

49 nec non mortalem *H1, H2.* **53** trepides] trepidas *H1, H2; an legendum* timeas? **58** Nunctio *H1, H2!* **60** firmo] regum *H1, H2.* **62** clarescet] *ita H1,* clarescat *H2.*

Huius magnifici decoris promissio grandis
Progeniem domnae claram specialiter Odae
Signavit: de qua natus dux inclitus Oddo
70 Sceptris Henricum regem genuit satis aptum.
Qui pater augusti fuit Oddonis venerandi,
Eius, qui regis fultus virtute perennis,
Postquam Saxonum rexit patris vice regnum
Nutu divino benedictus namque secundo
75 Imperii sedem Romani dignus eadem
Ac sceptrum iuris susceperat imperialis
Aequivocumque sui natum pariter benedictum
Disponente pia regis bonitate perennis
Imperii sedem conscendere facit eandem
80 Atque pari similis splendore frui ditionis.
Haec igitur modici demonstrat pagina libri
Plenius, e causis rerum quem scripsimus harum.
Nunc ad opus coeptum devote perficiendum
Est convertendus stilus noster studiosus.

85 Ast ubi Liudulfo fuerat venerabilis Oda
Foedere legali coniuncta, suo seniori,
Inter nostrates celebris profecerat omnes
Moribus et factis callem gradiens bonitatis
Exemploque suae vivens matris venerandae
90 Se totam domino commendabat prece sacra
Corde tenens matris monitum claustri faciendi.
Hinc nam legalem non raro sui seniorem

68 domus *mut. in* domni *H1,* domni *corr. in* domnæ *edd. (= Leibnitius/Eccardus) in H2.* **69** Oddo *mut. ex* Otto *H1.* **71** pater] *ita H1,* patris *H2.* **75** eadem] *ita H1,* eandem *H2; cf. v. 79.* **79** facit] *ita H1, mut. in* fecit *edd. in H2.* **80** dicionis *H1, H2.* **81** Hac *H1,* Hac *corr. in* Hæc *edd. in H2.* **83** ceptum *H1, H2.* **85** § *in marg. H1, sine dist. H2.* **88** bonitatis] *ita H1,* pietatis *H2.* **91** monitum] *ita H1, H2;* votum *coni. v. Winterf.*

Exhortabatur blandis nimium suadelis,
Ut de gazarum construxisset propriarum
95 Sumptu coenobium divinis laudibus aptum,
In quo sacrandae domino velamine sacro
Finetenus castae possent habitare puellae
Atque vacare sui sancti famulamine sponsi.
His ergo monitis vir concedendo fidelis
100 Coniugis electae precibus consenserat apte;
Ac sic communi similis conamine voti
Deservire deo coeperunt protinus ambo.

Quis fuit ecclesiae possessio denique parvae
Trans ripas Gandae supra montana locatae,
105 Unde locum celebrem vocitabant Gandeshemensem.
Illic, obsequio domini digne celebrando
Dum locus investigari posset magis aptus,
Communi multas vita iunxere puellas;
Atque sui natam decreverunt Hathumodam
110 His habitu similem fieri sociamque perennem.
Utque puellaris rectrix fore posset ovilis,
Primitus hanc ipsam reverenter ad instituendam
Tradebant abbatissae cuidam venerandae,
Quae praelatarum vice succedendo priorum
115 Tunc Herifordensem sortita fuit sibi sedem.
Tali divinum meditati sunt famulatum
Nisu Liudulfus coniunx insignis et eius.

103 § *in marg. H1, sine dist. H2.* **107** aptum *H1,* aptum *corr. in* aptus *edd. in H2.* **108** Coi *cum compendio H1,* Coram *corr. in* Communi *edd. in H2.* **111** Atque *H1,* Atque *corr. in* Utque *edd. in H2.* **114** priorum] *ita H1, corr. ex* p/orum *edd. in H2.* **116** Tali] *ita H1, corr. ex* Tale *edd. in H2.*

Post haec acceptis proprii scriptis senioris,
Scilicet almifici regisque pii Hludowici,
120 Eius permissu cum non modico comitatu
Romam pergebant sanctique patris visitabant
Sedem muneribus dignis precibusque benignis
Ipsius auxilio deposcentes sua vota
Iuxta velle dei sese persolvere posse.
125 Isdem temporibus possedit papa beatus
Sergius ecclesiae primatum namque regendae.
Hic ubi perlegit cartas regis sibi missas,
Sensit honore ducem summo dignum venientem;
Et perquirendo causam, qua venerat illo,
130 Affatu miti blandum se praebuit illi.
Quem ceu pontificem summum merito venerandum
Exorans dux Liudulfus cum coniuge pronus
Utitur his verbis tota dulcedine mixtis:
'Inclite papa, tuis ne sis durus peregrinis,
135 Qui de longinquis terrarum venimus oris
Muneribus nostri famulatus te venerari.
Nitimur ardentis toto conamine mentis
Condere coenobium domini sub honore sacrandum;
Unde quidem visum nobis est maxime iustum,
140 A te consilii solamen quaerere certi
Et studium nostri tibi rite precando fateri,
Qui caput ecclesiae toto dominaris in orbe;
Quo, si forte tibi placeat devotio nostri,

118 *Sine dist. H1, H2.* **119** hluidouuici *H1,* Ludovvici *(*ud *corr. edd.) H2.* **121** pergebat *H1,* pergebat *corr. in* pergebant *edd. in H2.* patri *H1,* patri *corr. in* patris *edd. in H2.* **122** Sedem] Eidem *H1,* Eidem *mut. in* Zedem *edd. in H2.* **125** Hisdem *H1,* Iisdem *H2.* **129** illo] *ita H1,* illic *H2.* **130** Affectu *H1,* Affat// *corr. in* Affatu *edd. in H2.* **133** Utigr *cum compendio (*= Ut igitur*) H1;* Ute/q/ *mut. in* Utique, *denique scr.* Utitur *edd. in H2.*

Auxilium praebente tua pietate paterna,
145 Quod votis gerimus, factis bene perficiamus.
Ac tu, consilium cuius merito flagitamus,
Susceptis donis clementi pectore nostris
Scilicet et regis compulsus amore perennis
Praesta sanctorum nobis sacra pignora, quorum
150 Omnis coenobii constructio possit honori
Apte signari sacris meritisque tueri.
Utque sit absque iugo regum per saecla potentum
Nec terrenorum patiatur vim dominorum,
Hoc rectoris apostolici solum ditioni
155 Tradimus ad defendendum pariterque regendum.'

Haec dux. Et summus praesul sic Sergius orsus
Inquit: 'Te miti complector pectore, fili,
Consortemque tuam pariter complector amandam
Atque piis studiis gaudens congaudeo vestris
160 Nec vobis credo fas esse negare petita.
Hic duo rectores fuerant aliquando potentes,
Praesul Anastasius sedis sanctissimus huius
Et coapostolicus sacer Innocentius eius,
Qui post pastorem Petrum Paulumque magistrum
165 Ecclesiae meritis celebres fulsere supremis;
Quorum tam magna servantur corpora cura
Hactenus a cunctis huius rectoribus urbis,
Ut nec particulam quisquam subtraxerat umquam
Pleno membrorum numero remanente sacrorum.
170 Sed quia iure piis concedere debeo votis,
Amborum vobis donabo pignora gratis

146 cuius] nimis *H1, H2.* **151** mentisque *H1,* mentisque *corr. in* meritisque *edd. in H2.* **156** § *in marg. H1, sine dist. H2.* et *H1,* et *mut. in* at *edd. in H2.* **160** credo fas esse] *ita H1, corr. ex* fas esse credo *edd. in H2.* **167** Actenus *H1, H2.* **168** subtraxerat] *ita H1, mut. in* subtraxerit *edd. in H2.*

Corporibus sacris abscisa patenter ab ipsis,
Si sacramento confirmatis mihi facto
Haec in coenobii venerari iam memorati
175 Finetenus templo vestri munimine facto
Nocte dieque sacris illic resonantibus hymnis
Necnon accenso praeclaro lumine semper;
Hoc et apostolici iuris, sicut petiistis,
Coenobium nostri designamus ditioni,
180 Ut terrenorum sit securum dominorum.'
His dux promissis laetatus corde verendis
Mandatis se pontificis summi fore sacris
Mox responsurum factis, inquit, studiosis,

. . . .

Qui foret ecclesia dignus mox aedificanda.

185 Ut fert multorum sententia vera scientum,
Proxima coenobio fuerat tunc silvula cincta
Collibus umbrosis, quibus et nos cingimur ipsis;
Necnon in silva fuerat sita parvula villa,
In qua Liudulfi soliti stabulare subulci
190 Intra saepta viri cuiusdam lassa quieti
Corpora nocturnis sua composuere sub horis,
Dum sibi commissos debebant pascere porcos.
Hic quondam, cum sanctorum venerabile festum
Esset cunctorum mox post biduum celebrandum,
195 Sub noctis claras tenebris ardere lucernas
In silva multas ipsi videre subulci.
His visis cuncti mirabantur stupefacti,

177 accensa *H1,* accensa *corr. in* accenso *edd. in H2.* **178** sicut et *H1, H2* **180** Ut quidam terrenorum *H1, H2. Post v. 183 versus intercidisse videtur.* **185** *Sine dist. H1, H2.* vera] *ita H1,* vere *H2.* **186** cuncta *H1,* cuncta *corr. in* cincta *edd. in H2.* **189** Luidulfi *H1,* Ludulfi *H2.*

Quid nova splendentis vellet sibi visio lucis,
Miro nocturnas scindens splendore tenebras;
200 Hocque domus patri narraverunt tremefacti
Demonstrando locum, quem lux perfuderat, ipsum.
Qui visu clare cupiens audita probare
Extra tecta domus illis habitans sociatus
Insomnem coepit noctem servare sequentem
205 Non claudens oculos somno suadente gravatos,
Donec accensas rursus rutilare lucernas
Aucto vincentes numero videre priores
Ipso quippe loco, sed prisca, qua prius, hora.
Ominis hoc signum felicis namque serenum,
210 Ut Phoebus radios spargebat ab aethere primos,
Fit notum fama cunctis prodente iocunda;
Nec latuisse ducem dignum potuit Liudulfum,
Aures sed citius dicto pulsaverat eius.
Ipseque sacrata festi mox nocte futuri
215 Observans caute, si quicquam postea tale
Caelitus ostensi monstraret visio signi,
Cum multis silvam pernox conspexerat ipsam.
Nec mora, cum nebula terras nox texerat atra,
Undique silvestris per girum denique vallis,
220 In qua fundandum fuerat praenobile templum,
Ordine disposito cernuntur lumina plura;
Quae simul arboreas umbras noctisque tenebras
Clare pollentis scindebant luce nitoris.
Hinc simul astantes domino laudem referentes
225 Omnes esse locum firmabant sanctificandum
Eius ad obsequium, qui luce repleverat illum.

208 prisco quam *H1, H2.* p[i]us *H1,* plus *H2!* **212** lacius se *H1,* lat///se *corr. in* latuisse *edd. in H2.* **216** monstraret] *ita H1,* monstrarit *H2.* **219** gyrum *H2.* **220** quo *H1, H2.*

227 At dux caelesti non ingratus pietati
229 Consensuque suae dilectae coniugis Odae,
228 Arboribus mox succisis spinisque resectis
230 Omnino vallem mundari iussit eandem;
Silvestremque locum Faunis monstrisque repletum
Fecit mundatum divinis laudibus aptum.
Hinc, quos poscit opus, prius acquirens sibi sumptus
Protinus ecclesiae construxit moenia pulchrae

. . . .

. . . .

235 Quae splendor lucis designavit rutilantis.
Hac igitur causa fuerat iam coepta secundo
Coenobii sub honore dei constructio nostri.
Interea lapides structurae convenientes
Non potuere locis nancisci prorsus in illis;
240 Unde moram templi patitur perfectio coepti.
Abbatissa sed a domino sperans Hathumoda
Impetrare fide credentes omnia posse
Frangebat sese nimio persaepe labore
Nocte dieque deo sacris studiis famulando;
245 Et subiectarum multis illi sociatis
Caelitus auxilii petiit solamina ferri,
Ne non perfectum remaneret opus bene coeptum.
Nec mora, caelestem, quam quaerebat, pietatem
Sensit adesse sui votis promptam misereri.
250 Nam ieiunando sacris precibusque vacando
Cum prostrata die quadam iacuit secus aram,

227 celesti *H1,* coelest/ *corr. in* coelesti *H2.* **228** reiectis *H1,* rejectis *H2.* **234** desiderantur versus, deficiunt duo carmina *H1, H2 (partim del., supr.* carmina *scr.* versus*).* **236** fuerat *om. H2.* **242** credente somnia *H1 (*somnia *expunx.),* credente omnia *H2.* **249** adsese *H1,* ad sese *corr. in* adesse *edd. in H2.*

Vocis mansuetae ⟨monitis compellitur ire⟩
Atque sequi volucrem, quem iam progressa sedentem
Cerneret in saxi cuiusdam vertice magni.
255 Ipsaque complectens animo praecepta parato
Egreditur dictis credens ex corde iubentis;
Ac cementariis secum sumptis bene gnaris
Perrexit citius, quo duxit spiritus almus,
Donec ad coeptum pervenit nobile templum.
260 Illic candidulam vidit residere columbam
In designati praecelso vertice saxi.
Quae mox expansis volitans praecesserat alis
Temperat atque suum non sueto more volatum,
Posset ut aereos directo tramite sulcos
265 Cum sociis gradiendo sequi virguncula Christi.
Cumque columba locum volitans venisset ad illum,
Quem nunc non sterilem magnis scimus fore petris,
Descendens terram rostro percusserat illam,
Sub cuius lapides latuerunt aggere plures.
270 Quo certe viso Christi dignissima virgo
Emundare locum socias praeceperat ipsum
272[a] Et molem terrae circumfodiendo secare
272[b] Tellurisque gravem fodiendo scindere molem.
Quo facto praestante pia bonitate superna
Copia magnarum monstratur multa petrarum,

252 Vocis mansuetæ die quadam iacuit secus aram *H1, H2.* **259** pervenit] *ita H1,* perrexit *H2.* **261** Inde signati praecelsa *H1, corr. in* In designati præcelso *edd. in H2.* **264** Posse tunc aërios *H1,* Posse tunc aëreos *corr. in* posset ut aëreos *edd. in H2.* **270** certa *H1, mut. in* certo *edd. in H2.* **271** socias] *ita H1, mut. in* socios *edd. in H2.* **272a–272b** *Tradunt versus hoc ordine H1, H2. Notaverunt edd. in marg. H2:* videtur ipsa Roswita posteriorem versum priori substituisse, et male ambos servatos.

275 Unde monasterii cum templo moenia coepti
Omnia materiam possent traxisse petrinam.
Hinc magis atque magis toto conamine mentis
Factores templi domini sub honore sacrandi
Instabant operi mox nocte dieque recenti.

280 Sed dux Liudulfus, primus qui conditor eius
Exitit et cura cuius processit origo
Omnis structurae precibus poscentibus Odae,
(Pro dolor) ad summum non duxit opus studiosum,
Sed naturalis saeva tactus nece mortis,
285 Cogitur ante suum factori reddere flatum,
Quam perfecta domus domini foret inclita prorsus;
Commisitque suae carae moriendo relictae
Atque suis natis, ducibus supra memoratis,
Totius instantis pondus curamque laboris
290 Exorans votis, ut complerent, studiosis,
Omnem coenobii structuram perficiendi.
Cuius in antiquo corpus venerabile templo
Tunc gremio terrae commendatum fuit apte:
Ossa sed annorum post decursus aliquorum
295 Sunt hinc ecclesia translata locanda novella.
Forsan ad hoc illum mundo deus abstulit isto,
Dum vix aetatis febres tetigit mediocris,
Illustris domnae post haec ut plenius Odae

280 *Sine dist. H1, H2.* **283** Pro] *ita H1,* Proh *H2.* **284** saeva] *ita H2,* seva *expunx. et* sena *scr. in marg. H1.* **289** infantis *H1, H2.* **295** hinc] hac in *H1, H2.* **296** ad hoc] adhunc *H1;* ad hunc *mut. in* ad huc, *denique corr. in* ad hoc *edd. in H2.* **297** vix ætatis *H1,* ætatis vix *corr. in* vix ætatis *edd. in H2.* febres] *ita H1, corr. ex* febr/s *et* fines *coni. edd. in H2.* mediocres *H1,* mediocres *corr. in* mediocris *edd. in H2.*

Mens intenta deo posset tractare superna
300 Expers carnalis totius prorsus amoris.
Nec tamen auxilii solamen denegat illi,
Sed praestabat opem solita pietate recentem,
Qua suffulta suas posset ditescere nonnas
Omnibus his rebus, noster quibus indiget usus.
305 Ergo sui natam, Liutgard de nomine dictam,
Nutu clementis regis praestante perennis
Elegit clarus Francorum rex Hludowicus
Regni consortem sibimet sociamque perennem,
Filius illius, cuius dono Liudulfus
310 Suscepit primum propriae gentis dominatum.
Quae regina quidem nobis ad prosperitatem
Facta suae dignum sanctae matri famulatum
⟨Consensu⟩ regis praebens, proprii senioris,
⟨Maxima⟩ coenobio permisit commoda nostro.

315 Interea Christi virgo felix Hathumoda,
Cum gregis undenos curam bis gesserat annos,
Ocius in Christo moriens transivit ad astra;
Gerbergae tenerum commisit ovile regendum.
Haec fuit illustri cuidam nimiumque potenti
320 Desponsata viro Bernrad de nomine dicto:

299 intenta] *ita H1, corr. ex* intentata *edd. in H2.* **300** totius prorsus] *ita H2,* prorsus tocius *H1.* **303** Qua] *ita H1, corr. ex* Quæ *edd. in H2.* **305** Liutgard de] Luitgarda *H1,* Lutgarda *mut. in* Lutgardæ *edd. in H2.* **307** Loudouuicus *H1,* Ludovvicus *H2.* **308** sacramque *H1,* sacramque *corr. in* sociamque *edd. in H2.* perhennem *H1.* **313** *Lacuna in initio versus H1, H2.* **314** *Lacuna in initio versus H1, H2.* promisit *H1, H2.* nostra *H1,* nostra *corr. in* nostro *edd. in H2.* **315** *Sine dist. H1, H2.* **320** Bernrad de] Bernrado *H1,* Bernhardo *mut. in* Bernrado *edd. in H2.*

Sed sese Christo clam consecraverat ipsa
Caelesti fervens sponso velamine sacro
Omnino sponsum spernens animo moriturum.
Nec tamen extemplo pro seditione cavenda
325 Auro fulgentes potuit deponere vestes,
Induitur solito sed vestitu pretioso.
Interea venit, quem sponsa dei reprobavit,
Uti colloquiis eius quaerens manifestis;
Audivit vero, votum quia fecerit ipsa
330 Velle puellarem caste servare pudorem.
Quae cum tardaret cito nec procedere vellet,
Quod prius audierat, verum fore valde timebat;
Inpatiensque morae domnam precibus placat Odam,
Donec ipsa suam iussit procedere natam
335 Ornatam pulchre cultu vestis pretiosae
Necnon gemmatis sponsarum more metallis.
Ast ubi Bernradus vidit, quam desideravit,
His verbis caram causari fertur amicam:
'Non raro didici fama prodente sinistra,
340 Quod tu nitaris nostrum disrumpere pactum
Et fidei foedus servandum solvere prorsus.
At nunc ad bellum citius properare futurum
Praecepto regis cogor, nostri senioris;
Hinc tempus quidni non est hoc discutiendi.
345 Si redeam certe sospes comitante salute
Scito procul dubio, quod te mihimet sociabo
Atque tui votum penitus pessumdabo vanum.'
Dixerat et dextra permotus mente levata

322 Caelesti fervens] Coelestifere *H1,* Coelistifera *(*Coelesti vere *coni. edd.) H2.* **337** Bernhardus *H1, H2.* **340** te *H1,* te *corr. in* tu *edd. in H2.* **344** quidni] *ita H1,* quodni *H2.* discutiendi] *ita H1, corr. ex* discutie//i *edd. in H2.*

Iurat per gladium, per candidulum quoque collum,
350 Iuxta posse sui factis praedicta repleri.
Respondens ergo Gerberg ait ore modesto:
'Christo me totam committo meam quoque vitam,
Utque fiat de me iuxta domini rogo velle.'
His ita colloquiis mutuo sermone peractis
355 Bernrad mox abiit casuque suo cito sensit
Nil contra dominum quemcumque valere superbum,
Et, quia plus iusto deliquit inania fando,
Decidit in bello victus virtute superna;
Ac Christi virgo sponsi caelestis amori
360 Se mox coniunxit, quem caste semper amavit.

Cuius primatus sexto, ni fallor, in anno
Brun dux ecclesiam promptus defendere sanctam
Incursu de saevorum satis Ungariorum
(Pro dolor) ex ipsis domini pravis inimicis
365 Occiditur binis cum praesulibus venerandis
Omnibus atque viris propriae pariter legionis.
Quo mox occiso iunior frater suus Oddo
Dux factus populi dono regis Hludowici
Respondit factis sanctae voto genitricis
370 Ac studio simili concordans nititur illi
Cultibus ecclesiam dignis ornare novellam,
Quae post haec anno fuerat sacranda secundo,
Moenia coenobii perfecit ⟨et⟩ omnia nostri
Commoda mansuris illic per saecla puellis.

375 His bene perfectis iuxta praecepta parentis
Eligitur domna poscente videlicet Oda

355 Bernhrad *H1,* Bernhard *mut. in* Bernhrad *edd. in H2.* 361 *Sine dist. H1, H2.* 365 præsidibus *H1, H2.* 375 *Sine dist. H1, H2.*

Ipsa dies templo condigne sanctificando,
In cuius noctis medio quam pluribus illo
Tertio conspicuae quondam fulsere lucernae,
380 Et quod cunctorum pariter venerabile festum
Sanctorum vasti fuerat per climata mundi
Principio mensis celebrandum rite novembris.
Hac fama templi passim resonante sacrandi
Undique permultae mox confluxere catervae
385 Optantes diei praesentes esse celebri.
Scilicet aurorae primo candore micante
Omnis nostrarum collectim turba sororum
Susceptis patronorum gratulando piorum
Corporibus sacris pergit resonantibus hymnis
390 Ad loca coenobii summo conamine structi.
Tunc tandem cunctis ad cultum rite paratis
Festi Wicberhtus praesul domini benedictus
Dedicat hoc templum domini sub honore decorum
Omnibus ad laudem sanctis per saecla perennem,
395 Quorum tunc festum digne fuerat celebrandum.
Hoc nam facta fuit clari sacratio templi
Centum mansurnis octo vicibus revolutis
Octonis denis uno pariter superaucto, 1.XI.881
Postquam virgo puellaris sine sorde pudoris
400 Saeclorum regem peperit propriumque parentem.

380 quid *H1,* quid *corr. in* quod *edd. in H2.* **383** resonate *H1,* resonate *corr. in* resonante *edd. in H2.* **384** permultae] *ita H2,* permulta *H1.* **387** collectum *(?) H1,* collectum *corr. in* collectim *edd. in H1.* **392** Wicbhertus *H1,* Wichbertus *H2.* **396** Hoc *(scil.* festo*)*] *ita H1, H2; an legendum* Haec*?* **397** mansuris *H2.* **398** Ac tones *H1 (expunx. et scr. in marg.* Octones vel Ac toties*),* Octones *corr. in* Octonis *edd. in H2.* **400** propriumque] *ita H1, corr. ex* propriamque *edd. in H2.*

Tunc coepere locis primum silvestribus illis
Carmina divinae laudis clare resonare.
Exin et illius nostri collectio coetus
Illic permansit domino iugiter famulando.
405 Et, licet abbatissa gregem Gerberga recentem
Caute servaret crebris monitisque doceret
Conservare, suae fuerant quae congrua vitae,
Contra propositum nec quid patrare profanum,
Domna tamen conversando venerabilis Oda
410 Intra claustra monasterii cura vigilanti
Scrutatur coniunctarum persaepe sororum
Actus et studium, mores, vitae quoque cursum,
Ne vel contempta maiorum lege sequenda
Vivere lege sua reprobe praesumeret ulla,
415 Vel locus illiciti foret ullius peragendi,
Exemploque suo praemonstravit facienda.
Et, ceu prudentis dulcis dilectio matris
Nunc terrore suas prohibet delinquere natas,
Nunc etiam monitis bona velle suadet amicis,
420 Sic haec sancta suas caras instruxit alumnas
Nunc dominatricis mandando iure potentis,
Nunc etiam matris mulcendo more suavis,
Quo vita simili cunctae communiter uni
Servirent regi, iubilant cui sidera caeli.

403 et] *ita H1, corr. ex* est *(?) edd. in H2.* **406** servare *H1,* servare *corr. in* servaret *edd. in H2.* docere *H1,* docere *corr. in* doceret *edd. in H2.* **407** fuerant] *ita H1, corr. ex* fuerat *edd. in H2.* **409** conversando] *ita H1,* conservando *H2.* **411** Scrutatur] *ita H2,* Scutatur *(add.* Scru forsan legendum*) H1.* **413** concepta *H1,* concepta *corr. in* contemta *edd. in H2.* **415** illius *H1,* illius *corr. in* ullius *edd. in H2.* **417** prudentis] *ita H1, corr. ex* pudentis *edd. in H2.* **423** cuncta *H1,* cuncta *corr. in* cunctæ *edd. in H2.*

425 Praeterea, quas maternae pietatis amore
Nutrivit, vere magno veneratur honore
Has ipsas vocitando suas saepissime domnas.
Nam quoties neptes eius proceresque nepotes,
Quos praepollentis decus extollebat honoris,
430 Eius ad implendum convenerunt famulatum
Certantes donis illam donare coruscis
Regis ut illustrem socrum propriamque parentem,
Illos mox verbis affari dicitur istis:
'Exhortans moneo vos, o mea pignora cara,
435 Ut maturetis condignis primule vestris
Muneribus nostras large ditescere domnas,
Hic servire piis debent quae sedulo nostris
Patronis, quorum meritis, precibus quoque sacris
Successus nobis optatae prosperitatis
440 Necnon regalis decus accedebat honoris.'
Hac ratione suam stirpem persuaserat omnem
Erga coenobii cultum pie sollicitari;
Et loca, quae generi dono regis Hludowici
Possessura quidem proprium suscepit in usum,
445 Permittente sua pariter pietate benigna
Ecclesiae tradi faciebat Gandeshemensi.
Nec rex ipse locum sublimavit minus illum
Liudgardis pie reginae bonitate precante;
Sed tradens illo largitur praedia multa
450 In ius Gerbergae, nostrae rectricis amandae,
Ipsius illustris reginae namque sororis.

435 primule] *ita H1*, primulæ *H2*. **438** mentis *H1*, mentis *corr. in* meritis *edd. in H2*. **439** optatae] *ita H2*, optate *H1*. **448** Luidgardis *H1, H2*. pia *H1, H2*. **449** illo] *ita H1*, illò *(ultima litt. manu edd.) H2*.

Quae rex Arnulfus, successor scilicet huius,
Posthac per scriptum regali iure statutum
Firmat vinetis eius dono superauctis.
455 Ac sic coenobio succedunt prospere plura
Summorum meritis intercedentibus almis
Pontificum, quorum constat sub honore dicatum.
Sed ne plus iusto fragiles extollere mentes
Suaderet talis successus prosperitatis,
460 Utque probaretur felix nostri dominatrix,
Vere iudicii salubris censura superni
Perplures horum mundo subtraxerat isto,
Quorum coenobium fuerat solamine fultum.

Ergo rege pio iam defuncto Hludowico,
465 Qui regum primus nostros tradebat in usus
Regali prius obsequio loca debita multa,
Necnon cirographis eius sub nomine scriptis
Iura monasterii firmaverat omnia nostri,
Eius post annos discessus denique paucos
470 Liudgardis regina, sui dignissima regni
Consors, tantorum quae nobis causa bonorum
Extitit, e mundo discessit (pro dolor) isto
Non sine nostrarum magno rerum detrimento.
Cui nam consimilis successit causa doloris,
475 Abbatissa bonis Gerberg quia dedita curis,
Quae praedictorum suffulta iuvamine regum
Necnon reginae germano foedere iunctae
Coenobium donis ornavit saepe coruscis

452 Quem *H1,* Quem *corr. in* Qvæ *edd. in H2.* **453** Post hac *H1,* Posthac *H2.* Post haec *v. Winterf., Str.; cf. Pafn. 4,5.* **462** subtraxerit *H1,* subtraxerit *corr. in* subtraxerat *edd. in H2.* **464** *Sine dist. H1, H2.* Hluduwico *H1,* Ludovvico *H2.* **467** chyrographis *H2.* **470** Luitgardis *H1,* Luidgardis *H2.* **472** Exstitit *H1,* Exiit *H2.*

Usibus et quaestum nostris superaddidit amplum,
480 Postquam bis denos binos quoque praefuit annos
Officio vice rectricis perfuncta prioris
Deposito fragilis mortali pondere carnis
Factori flatum reddebat ab aethre receptum
Orbatumque sui dimisit ovile sorori
485 Christinae procurandum sancteque tuendum.

Quae praefatarum mores sectando sororum
Atque sui vitam bene praemeditando gerendam
Illis fit similis magnae forma probitatis,
Quis fuit aequalis provectu nobilitatis.
490 Mater et illius, stabilem corrumpere cuius
Mentem nullarum potuit mutatio rerum,
Quominus obsequio domini fieret studiosa,
Provocat exemplis illam monitis quoque crebris,
Ut sese semper circumspiciens sapienter
495 Commissum caute sibimet servaret ovile
Necnon factorum iuxta meritum variorum
Nunc pie subiectas monitis mulceret amicis,
Nunc etiam verbis iuste terreret acerbis,
Ne quem divini ritum cultus violari
500 Torpens affectus cordis permitteret eius.
Ipsaque domna sui studio laudabilis Oda,
Quae claris splendens radiis mirae bonitatis
Sat dilecta deo fuerat, celebris quoque mundo,
Semper maternae solito pietatis amore
505 Eius adoptivis studuit conquirere natis,

482 Deposita *H1*, Deposit/ *corr. in* Deposito *edd. in H2.* **486** *Sine dist. H1, H2.* praelatarum *H1*, prælatorum *(?) corr. in* praefatarum *edd. in H2.* **489** Qui *H1*, Qui *corr. in* Quîs *edd. in H2.* provectu] *ita H1*, provecta (profectu *coni. edd.) H2.* **494** sapienter] *ita H1*, sapientem *H2.*

Quicquid nonnarum deposcere sciverat usum;
Ottonisque ducis clari devotio grandis
Concordando suae votis carae genitricis
Auxilio regum, quibus exhibuit famulatum,
510 Ipsum virgineum coetum Christi famularum
Fovit clementer necnon provexit amanter.
Nec propriae vitae compelli quivit amore,
Ut vel eas damno laedendo tangeret ullo
Vel minus impleret, quae mater digna iuberet.
515 Ac sic concessae sibimet per tempora vitae
Omni ferventis studuit conamine mentis
Coenobio patronorum praebere suorum
Ipsius auxilii semper tutamina certi;
Nec vice terribilis metui petiit senioris,
520 Sed bene mansueti genitoris ad instar amari:
Unde loco non inmerito permansit in illo
Hactenus insignis laus illius pietatis.
Nos quoque permotae tantae dulcedine famae,
Necdum maternis quae tunc prorupimus alvis,
525 Sed fuimus vere longo post tempore natae,
Haut minus illius constanter amore flagramus,
Quam quae praesentem contemplabantur eundem
Atque suae donis ditabantur pietatis.

507 Ottonisque] *ita H1, H2.* **508** vocis *H1,* vocis *corr. in* votis *edd. in H2.* **510** cetum *H1,* coetum *corr. ex* castum *edd. in H2.* **515** concessa *H1,* concessa *corr. in* concessæ *edd. in H2.* **519** pecijt *H1,* potuit *H2.* **524** tunc prorupimus] nunquam rumpimus *H1,* tunc erupimus *coni. edd. in H2.* **526** Hanc *H1 (*Haut *scr. in marg.);* Ha// *mut. in* Haud, *del. et suprascr.* Hanc *edd. in H2.* flagrari *corr. in* flagramus *H1 et edd. in H2!* **527** quae] qui *H1, H2.*

Hic igitur talis praeclarae vir pietatis,
530 Qui pius urbicolis tribuit bona talia nostris,
Morte sui matrem nostri domnamque potentem
Praeveniendo prior, vetiti pro crimine pomi,
Quod protoplastes degustavere parentes,
Exuitur membris limoso stamine textis
535 (Proh dolor) atque seris clausit sua lumina mortis
Coetu nostrarum circumvallante sororum
Pernimio domni fletu lectum morituri.
Cuius ad exequias summo nisu celebrandas
Undique nostrates confluxerunt lacrimantes
540 Atque sui loetum cari senioris amarum
Omnes inmodicis pariter flevere lamentis.
Sed luctum procerum vulgi pariterque lamentum
Vicit nonnarum miseranda querela suarum;
Quae pro defectu mentis solito muliebris
545 Vivere spernentes citiusque mori cupientes
In lacrimando modum voluerunt ponere nullum.
Hinc patris eiusdem cari domnique benigni
Corpus per triduum conservabant inhumatum,
Ceu sese lacrimis sperarent posse refusis
550 Extincti flatum citius revocare reductum.
Tandem concilium sapiens satis advenientum
Decernens vanae spei debere reniti
Ocius in tumulo non absque dolore parato,
Sed luctu nimio circumstantum madefacto,
555 Membra ducis tanti digne servanda locari
Fecit in ecclesiae medio, quam struxerat ipse.

529 *Sine dist. H1, H2.* 533 prothoplastes *H1.* 535 lumina] *ita H1,* limina *H2.* 544 mentis] *ita H1, corr. ex* meritis *edd. in H2.* 551 consilium *H1, H2.* 552 vane *H1,* vanæ *corr. ex* variæ *edd. in H2.* 554 circumstantium *H1, H2.*

Illic nostrarum studio certante sororum
Continuis precibus dilectus spiritus eius
Semper celsithroni commendatur pietati,
560 Quo det ei requiem clemens sine fine perennem.

Scilicet ante dies octo totidem quoque noctes,
Quam ducis occasus miserabilis accidit huius,
Ipsius nato, regi quandoque futuro,
Nascitur Henrico famosus filius Oddo,
565 Qui fuit electus regis pietate perennis
Primus Saxonum rex post patrem strenuorum
Augustus Romanorum pariterque potentum.

Mensibus hinc senis cursu volitante peractis
Dum decus hoc tanti clarum generis fuit ortum,
570 In quo laeta procul dubio promissa repleta
Christi Baptistae creduntur primitus esse,
Istius exiguae quae mox in vertice musae
Aedae namque suae memini fore dicta parenti,
Oda nimis felix, nostri spes et dominatrix,
575 Cum decies denos septem quoque vixerat annos,
Vitam fine bono consummans transit ad astra
Expectans spe felici tempus redeundi
Flatus atque resurgendi de pulvere pleni
Corporis, in tumulo quod nunc sub tegmine duro
580 Iuxta natarum requiescit busta suarum.

Nec Christina, suis quae sola remansit alumnis,
Iam tunc instantis grandis dulcedo doloris,
Plus quam bis ternos post matrem vixerat annos,
Sed reddens animam factore vocante beatam

561 *Sine dist. H1, H2.* **568** *Sine dist. H1, H2.* **569** hortanti *H1,* hortanti *corr. in* hoc *(mut. in* Hoc*)* tanti *edd. in H2.* **573** A de *H1,* Adæ *H2.* **576** consumens *H1, H2.* **581** *Sine dist. H1, H2.*

585 Iungitur in lucis patria pacisque perennis
Eius germanis, quarum pollebat honoris
Heres et sanctae sectatrix inclita vitae.
Quas matri cunctas in caelo consociatas,
Alme pater, tecum praesta gaudere per aevum
590 Illius et regni mercede perenniter uti,
Quod retro cuncta tuis servasti saecula caris,
Quo te cum nato necnon cum flamine sacro
Solum rectorem caelestibus imperitantem
Dulci laetitiae laudantes voce iocundae
595 ⟨Perstent divinis semper veneranter in odis.⟩

---

589 eum *H1,* eum *corr. in* ævum *edd. in H2.* **590** Illius boni *H1, (*Illiusque boni *coni. edd.) H2.* **594** Dulci] *ita H1, H2.*

INDEX NOMINUM